PETRI PA
PEI SAMARITES CO
MOEDIA DE SAMARITA
no Euangelico.

Additum est Carmen Bucolicum per
D. Eras. Roterodamum.



COLONIAE, *apud Ioannem Gymnicum*
Anno D. M. XXXX.

AMPLISSIMO ERUDITISSIMOQUE DOMINO,

domino Ioanni Falluellio, Præposito Formosellano, Petrus Papeus

S. D. P.

PRAECLARE & uelut ab humanæ sapientiæ oraculo dictū est humanissime, hanc uiam ad gloriam esse proximā & quasi conpēdiariam: si quis id ageret, ut qualis haberi uellet, esset talis: quum enim uultus sit quædā mentis imago & tacitus sermo: animi bene compositi splendor in uultu se explicans, facilè in hominibus sui amorē excitat: nimirum uirtute sibi conciliante, & superorū & hominum animos. Quam rem audio superiorem præpositū adduxisse: ut te cooptaret atq; inaugura ret in collegium dignitatis suæ. Hoc etiam humanos omnes, hoc est Philologos bonarum literarū cultores, ad te amandum, colēdum, suscipiendum compellit. Quapropter ego, tametsi ne semipagani quidem nomē agnosco, ad sacra tua adferre ausus fui carmē nostrum, id est Samariten, Comœdiam inconditam, rudemq́;. Sed quia actionem eius præcipitamus, perendie enim, hoc ē, postridie natiuitatis Baptistę agere constituimus, celeriter amplitudini tuæ mittere fuit in animo: ut si (qui est candor humanitasq́; tua) ludos nostros præsentia tua condecorare uideatur, instructior adsis. Si comiter accipis, erit quod gaudeam: Si despicis, discam non adeò temere ad tam luculentos uiros prosilire, sed intra meam me pelliculam continere. Vale. Ex athenæo Meniniano, decimo Calendas Iulias. Anno salutis humanæ, sesquimilesimo trigesimo septimo.

DRAMATIS PERSONAE.

Megadorus	*Senex*
Diabolus	*Leno*
Hedylogus	*Seruus*
Gulo	*Parasitus*
Sarcophilia	*Meretrix*
Cupido	
Bacchus	*Latrones*
Mars	
Aegio	*Adolescens*
Eubulus	*Pædagogus*
Dromo	*Seruus*
Stabularius	*Hospes*
Samarites	*Adolescens*
Sacerdos	
Leuita	

AR.

ARGVMENTVM.

Trimetri.

ADoptatum Aegionem à Megadoro, illicit
In amorem Sarcophiliæ Diabolus, opera
Gulonis atq; Hedylogi: quo meretricula
Potiatur adolescẽs, deserit Hierusalem,
Petit Hierichontem, cadit in latrones miser,
Dispoliatur, mactatur dire usq; ad necem:
Iacet relictus semimuus inuia,
Viant illac Sacerdos & Leuita, sed
Medicamen non adhibent: quia uacui oleo erant:
Verum Samarites illac conficiens iter
Aegro benefacit, uehit in diuersorium,
Pandocheo tradit curandum, & curam ipse agit.

PROLOGVS

QVia Pædotribæ est non literis, sed moribus
Bonis potissimum instituere suum gregem:
Ad conscribendum Samariten animum appuli:
Blanditias & gulam ut fugiant: si sapere audent.
Qui illic stat Aegio, in latrones incidet
Elusus ab Hedylogo & Gulone, sic Adam
Perijt gula, dolo serpentis, habens fidem
Vxori. Cæterum uos adolescentuli,
Mei filioli, discipuli charissimi: hic
Latetis in Aegionis persona. Si enim

Nequiter agitis semel, in uobis non est situm
Resipiscere: Talis opprimet uos calamitas,
Vt neq; sacrificia, neq; quantumuis sacræ
Literæ queant uos inde eximere, nisi prius
Samaritanus misertus infundat oleum
Charismatis, hoc est gratiam almi spiritus.
Ad uos reuertor spectatores candidi,
Aequanimi estote: prodit in proscenium
Megadorus, adoptati pater, hunc componimus
Deo cum patre. Aegio homo est. Eubulus refert
Rationem, cuius consilijs traditus homo est.
Studet diabolus inducere diuortium,
Quod ut efficit: perit homo, sed restituitur
A Christo: operam date nobis per silentium.

Actus I. Scæna I. Trimetri, & eiusdem rationis.

Megadorus senex.

Non dubium est quin salutem gnatus oderit,
Quin pessum eat, olim ego impurum illum Diabolum
Lenonem iniquum, pestilentem, pessimum,
Plagiarium, indignum facit, qui sic meum
Adoptatitium mihi ephebum filium,
Rerum imperitum, illiceat in fraudes malas,
Ipsum dehinc uideo præcipitem ferrier:

Per prona perq; abrupta nimium lubrica.
Parabam sedulo regnum, delicias, opes,
Vxorem, amicos generq; & potentia
Claros, & ingens prælaute famulitium,
Cultum, domum magnificam, rem lautißimam,
Ambrosiam, nectar, & duraturum penum
Perpetuum in æuum: ut Cleopatræ cibos,
Cupediasq; opiparas, adiposas dapes,
Cereales mensas, ganeata Siculaq;
Fercula, uel umbras, uel potius dicas nihil,
Præ illis meis quæ destinaram filio.
Hæc parui si quis æstimet, addideram dies
Non protoplasti, uel senis Mathusalem:
Non Aesonis, uel Tithoni, uel Nestoris,
Quis uita morbis, cladibus, doloribus
Iactata, uexata fuit exagitataq;:
Sed nostro in regno, morbis omnibus est loci
Nihil. at ut his tantis præ commodis, miser
Præuertat inepta pœnitendaq; gaudia,
Diabolus illi illic mastigia, id autor est.
Hem flagitium hominis, meæ atram familiæ
Pestemq; perniciemq;, nostrum siccine
Corrumpere par est? sed uirum decet grauem
Animi impetum, & dolorem acerbum reprimere.

Actus primi scæna secunda.

Trimetri eiusdem generis cum uno
Septenario Iambico.

Diabolus, Leno, Gulo, Parasitus.

Diabolus,

ECquid portenti nostris adfulget oculis,
Videtur ex eorum me hercle quidem grege,
Qui illudunt callidé homines sycophantijs,
Vt oppidò detrimentosa est improbo
Homini lubrica lingua? Gulonem summum meum
Lædoria pene imprudens perstrinxeram.
Gulo: Vah coruos albos, & nigros cygnos uidere
crit,
Leporem nunc capiet cancer, nunc aurum pluet,
Et quicquid est optabile, euax. Diabo. Quur? Gu.
quia
Prisca reuoluuntur tempora, seculum aureum
Recurrit, Saturnus redit: Diab. Optem Delium
Natatorem, aut Apollinem, siue Oedipum:
Qui perplexos enarret gryphos mihi tuos.
Gul. Omnes modo agminatim uirtutes polo
Relapsæ, hominum omnium imbuent corda. Diab.
Quid ita?
Gu. Rogas? tu qui in calumniam trahis omnia,
Et aliò uorsum semper dicta, factaq;
Interpretaris, quàm quo fiunt, differis
Grauem sententiam: belle euge philosophe,

Vt grauiter metuis & ciuiliter, ne qua temerè
Effutias, per ipsum reditura iugulum.
Diab. Au pseudole, ne quid opprobres: satis monet
Similitudo. Attabas si ego, tu Munenius,
Si tu Bithus, ego Bacchus, trahimus idem
Iugũ ex æquo. Gul. Vera loqueris, codẽ ouo sumus
Prognati, & in eodem ludo edocti simul,
Farinæ sanè eiusdem, & consecranei.
Diab. Graculus est graculo, Attabas Munenio
Coniunctus, & uulpes uulpi, & lupus lupo.
Gul. Hem sartor scelerum.
Diab. Au sator & messor criminum.
Gul. Virtutis osor. Diabol. Sarcinator malitiæ.
Gul. Veterator pessime. Diabol. Dissidij & iurgij seges:
Sed heus, inopinantes nos penè hic Aegio
Oppressit, latius aliâs erit locus
Connugandi: institutam fabulam interim
Saltare pergamus, curemus scilicet
Hierichontem petat, contempta Hierusalem.
Gul. Recte mones, tum erit insultationibus,
Et contumelijs opportunus probè.
Diabol. Gymnasium fiet flagrorum & plagipatida.
Gul. Deglubemus eum, usque ad mortem mulctabimus.

Diabolus: Tace, ne insidiæ obolcant: lupus in fabula est.
Insidiæ manifestæ cadunt ferè irritæ:
Sed captemus, quid secum solus mussitet.
Gu. Tu illuc concede, huc me illatebrabo ego strenue.

Actus primi
scæna tertia.
Aegio adolescens.

MIserum me, quē seuerus tā miseris modis
Pater afflictet, me iuuenem amœnum & cupidum
Vult alienum esse omnibus amœnitatibus,
Amœna amœne quas adolescentia
Fert. Iure uetet eodem, ignire ignem igneum, &
Fame famentem famere, atq; siti torrida
Sitientem prohibeat sitire, sed & uetat,
Mandat ieiunio macere, & inedia
Fraudare genium, gemere, opes profundere.
Egenis erogare, bene uelle, & etiam
Benefacere tam inimicis, quàm suauibus
Amicis indiscriminatim, præter hæc
Hydroposiam, chameuniam, abstinentias,
Vigilias, cilicia, iugeis præscribit preces.
Velim excussum hoc tám intolerabile iugum meis

Hume-

Humeris, feram ne tam duri imperium patris?
Non faciam, non feram, æternum ualeat pater
Catoniana cum disciplina, mea
Nil refert: uerum enimuero prope dum intuor,
Nimium impudenter uidear facturus, patris
Iniquæ haud sunt leges, at apprime utiles.
Illis parantur defæcata gaudia, ac
Solida consortia diuûm immortalium.
At quam libido fert uoluptatem hominibus?
Quum pœnitenda est, tum felle uberima scatet,
Boni quippe omnis enerriculum & omnium
Esca est malorum, nodo inexplicabili
Illaqueans incautos nimis ah miseris modis.

Actus primi scæna quarta.

Octonarij Iambici.

Diabolus. Leno. Gulo. Parasitus.

Diabolus.

EHem ganeo. Gul. Ehem lurco. Diab. pure pu-
te sycophanta. Gul. Eho:
Cedo quid philosophi illum esse censes? Diab. Hem
sui gustum dedit
Ingenij, etiã si anguilla sit pressabimus, tenebimus
Folio, ut aiunt ficulno. Gul. E nassa nullo se expe-
diet dolo,
Vt ut palpitet & luctetur & omnes scrutetur ri-
mulas.

Dia. *Titubantem de gradu deturbabimus, horrida dein mala*
Conijciemus. *Gul.* *Reuerebere uidelicet hominem, hem graues cate*
Loquitur sententias, putes philosophum: *Diabol.* *Tertius est Cato,*
Pietatis ultor, uah cultor uolo dicere, in æquo labilis,
Dico stabilis, in flagitijs alacer. O *ho iterum acer puto*
Vt sæpe pecco: lingua incauta mentem præcurrit. *Gul.* *Age age.*
Diabol. *Vitij impetus, ceu cautes fluctus maris inconcussa, reicit*
Solidam super petrã fidei, ædicauit solerter domũ,
Quæ nec turbine, nec aquis torrentibus, aut ruitantibus imbribus
Pulsata cadat. *Gul.* *Sanè uerò.* *Diab.* *Quid super arenam ais scelus?*
Gul. *Minimè uerò.* *Diabol.* *Probè nunc quidem, at illum Thaletem instantibus*
Doctisq; canibus compellemus in plagas, sed tempus hinc
Negotio est legendũ, nunc Eubulo iunctus est suo,
Propterea adhuc nostræ suum contrahendæ in arctum copiæ,

Atq;

Atq; instruendæ ut oportuniore dimicent loco.

Actus secundi Scæna prima.
Aegio adolescens. Eubulus Pædagogus.
Scazontes.
Aegio.

DIabolòn Eubule animo dixtin'intento
Meam in fraudem? Eub. Admodum. Aeg. Qui raptet, affligat,
Extingat me? Eu. Sic. Aeg. In me patris ingentes
Deriuet iras? Eub. Oppidò studet te ex hac
Hierusalem elicere, ex pace bona, in amentem
Hierichonta, hoc est extremas in ærumnas,
Vbi luctus, fremitus, mœror, calamitas, angor.
Et faciet, nisi caues specie boni. Aeg. terres
Me. Ebu. Terribilis profecto est eius immane
Ingenium, sanguinis atq; cladis humanæ est
Insatiabile, proin monui et denuo edico,
Protestor, denuncio, caue sis, quasi dirum
Anguem effuge, quasi pestem morte præsenti
Grassantem subdolus, uafer, acer, astutus,
Blandus, seuerus, comis, durus, instructus,
Paratus in omnia fraudis monstra, ceu Proteus
Varius, mentem obtinet polipodis, ignaris
Attemperat se, & ut anceps aream spargit
Dulcibus èscis: blanditias ille item obiectat

Dum ſuper inducat caſſes, et necet prædam,
Puſillanimes & ſtudioſos uoluptatum
Sic irretit, magnanimos bile flagrante
Percit, truditq; ad ſcelera mente cerita,
Alienat à ſe, hoc eſt à mente mortales,
Quos captat, à deo prorſum auocat: quòd ſi
Patri Megadoro pares, qui te adoptauit,
Suumq; dici, hac ſolum lege tantiſper
Vult: dum facias quæ te ſunt digna: proh ſumme
Deus, quàm ſolida tibi parata, quàm tuto in
Loco tua ſtat ſalus loc[illegible]? ſin firmas,
Secusq; inducis animum, ut audias illum,
Extemplo te abdicabit, pacta reſcindet,
Morieris: mors inobedientibus præſto eſt.
Viue itaq;, & illum auerſare, hæc pater mandat.

Actus tertij ſcæna ſecunda.
Senarij Iambici.
Diabolus Leno.

Itáne depingor? itán propinor? me ne iam
Deniq; deſiſtere incepto uictum meo?
Quin in maiores inſtabo inſurgere dolos,
Nec aperto decernam Marte: ſed alia uia,
Aliaq; incunda eſt ratio. Si quid te iuuat:
Nec qua inſiſtis ſuccedit, frangier animo
Miſerum eſt: alia eſt tentandum, deſtinabitur

Gulo atq; Hedylogus uafer huic prouinciæ.
Qui lenocinijs, obsequijs, salibus, iocis,
Facetijs, ludis, amœnitatibus,
Virilis paulatim effringant robur animi,
Post ego succenturiatus, omnes machinas
Adhibebo, nec deniq; labor erit irritus.

Actus secundi scæna tertia.
Octonarij Septenarij, & Senarij Iambici.
Hedylogus seruus. Gulo parasitus.
Hedylogus.

QVàm iniquè comparatum est, ut quibus minus sunt prosperæ
Res, ubi semel inclinarint ad mala, statim adglutinent
Se confertim malæ res aliæ, calamitas adhæreat
Calamitati, ut trahit annulus annulum, en ego de primor
Seruili conditiōe, quæro, fero, refero, tūdo, molo,
Obsono, curso, circumcurso, uocatum eo adolescē tulos,
Concilio, adduco, delicias facio, excarnificante interim
Ventre: exin nequid uorem in fame, ablegor aliò foras.

Cymi

Cyminum ut redij scritur, gliscit rixa, iurgium
Feruescit composito, calumnia mihi intenditur.
Edundi pugni lorumq́; offeruntur, rapior & ul-
meus
Fio, uel si pugillus (quod rarum) atri obijcitur pa-
nis, aut
Vitiati casei: oculis emißitijs mox me impetunt
Configunt uultuosi, aiunt seruum bonæ frugi, qui
edat
Parcè, laboret sedulò, usque cantilenam hanc oc-
cinunt:
Parit satias ignauiam, stultitiam, malitiam.
Si uescor auidius: in ore bouem gerere, modestius
Si forte ligurio, fastidire me irrant simul
Omnes, nunc præter hæc intolerabilia infortunia
Latrante stomacho, hiantibus longè latè iliū cauis
Me Hierosolymā legauit herus Diabolus: ut Aegio
Nunc fœlix impulsore me mutet coloniam.
De esu nihil, uiaticum non dedit: insaniam,
Quid potius faciam exenteratus, effractus fame?
Tum mordace excipit nostram dicterio inediam,
Vt illam dij omnes eradicent stirpitus
Emolumento est famelicus, ait seruus uenter ar-
tifex,
Quid non effecit? coruos, picas, psittacos nostri
subigit

sona

*Sonare uerba, uarias meditãdo artes iubet extun-
dere.*
Qui delicatè nutrit seruum, contumacem sentiet,
Qui pereat funditus cum illa disciplina. hic dies
Tertius est postquam ariditate crepito, ieiunio
Conficior, fame tabesco, aridior pumice. nam sitim
Vt non Bacchus, Achelous facilè sedat, cæterum
Fames molestus interpellator q̃ urit: nullũ modum
*Didicit seruare uenter ille improbus. Gulo. Hedy
logum mihi dari in*
*Conspectum gestio, quo ex usu utriusq; illud quod
siet,*
*Cum eo colloquar. Hedylog. Est ne illic Gulo? cer
tè est, ô parasitatium*
*Columen salue. Gul. Hem gymnasium famis. Hed.
O incediæ*
*Colonia, ecquid suboluit præda tibi? Gul. Nisi na-
rium sagacitas*
*Me fallit, olet. Hed. quid olet? Gul. quid oleat? im-
peritus callidè*
*Ludificandus iuuenis. Hed. Si id odoraris, non pi-
tuitosus es,*
*Nec reumatismo infestaris. Gul. Porrò quasi pis-
cis itidem est*
*Verriculo conuerrendus, & paulatim prolicien-
dus in*

Amorem. Hedyl. Nihil est hic loci oscitantiæ atq;
ignauiæ,
Sic est hominis animus formatus, & fictus probe
Philosophicis sententijs: nisi uulpina circumuenis
Techna, magis egeris ut qui perito tendit retia.
Gul. Intelligo, primum mens eneruanda, deartuan
daq; est.
Salua mente, in munito est constituta homini salus,
Effœminata uerò it pessum momento leuißimo.
Hedy. Ita res est, delicijs et palpis percutiēdus est,
proin.
Aßimulabo præstigiatorem, circulatoris mihi
Personam sumam, ioculares effutiam sales,
Profitebor artem Thessalicā, carminibus, herbis,
fascino.
Nihil non pollicebor, tamen orationi tum uide ut
Subseruias appositè, si partes præstas rectè tuas,
Verba dabimus, facili utemur ad escariam rem cō
modè:
Te attēpera, utq; uentus fuerit, exin uelū uerteris.
Gu. Vtranq; in aurem dormi, curabitur, utar foro.

Actus secundi scæna quarta.
Senarij omnes.
Aegio adolescens. Eubulus.
Aegio.

Arctè

DE SAMARITANO.

ARctè qui habetur filius, pro incommodo
Paruo, quod nũc est, commoditates sentiet
Post olim solidas, grauidasq́; suauißimis
Venustatibus, hoc pro me imprimis adducit: ut
Patris feram imperium, in officio me hoc tenet
Vehementi auctoramento, uerbis consequi
Nequeo, quantopere trahat paternus candor, &
Quam gerit erga me solicitudinem piam.
Quod patrium est, inuitat, monet, obsecrat: dein
Interminatur, iterum promittit bona
Daturum in officio manenti. Itidem mala
Cumulatißima capturum me, si à munere
Discedo filij. Eub. Viso quid agat Aegio:
Sed eccum, perquàm opportunè te quærito,
Quid agis? Aeg. In cogitatione hæret animus
Atq; in pauore. Eub. Multis expedit in metu
Esse, beatus qui semper est pauidus, tamen
Quid est quod maceras te? Aegio. Grauiter territas,
Inculcas, obtundis, de eadem sæpius
Re, nescio quam aduersum me fingi fabricam,
Versare Diabolum in caput meum dolos.
Metuenda uerba blanda, nequaquam aspera.
Eub. Recte sanè quandoquidem ueluti toxicum
Auro gemmisq́;, haud in fictilibus urceis
Bibitur, idq́; ora poculi circumlita

Melle, ita animi uenenum præsens dulcibus
Latitat in uerbis, in picto tectorio:
Sermones blandi præferunt imaginem
Beneuolentis animi, sed furtim destruunt
Mentem atq; omne bonum, hinc deliciæ, ludi, ioci,
Libidines, illecebræ, propulsanda ei
Suis qui rebus ritè consultum uelit.
Aeg. Isthæc res est, uerũ male me habet, quod quasi
Mali præsagus instantis, toties ais,
Nisi caueo fucum. os si sublinitur mihi,
Deciderim gratia, in me cudetur faba,
Nec, quod durum apprime est ingenuo homini, suã
Solum pro delectamento, aut ludibrio: at
Male mulctabor miser, tundar odiosius
Ptisana in pila, feriente pilo desuper.
Eub. Cauto est opus, ne tanti particeps mali,
Tam inamabili hæreas (uide cautim) in luto.
Aeg. Abijt, eandem cantionem recinuit.
Vah toties officij memorem monerier?
Men' sutelis posse capi sycophanticis?
Apage, haud capiar quidẽ: obfirmaui animũ adeo
Et præmuniui, in portu tutus nauigo.

Actus tertij scæna prima.

Senarij Iambici & Trochaici.

Gulo parasitus.

Vt nunc hominum est fides, par est quæstum ad suum
Vnumquenq; esse attentum, uigilem, callidum.
Seruare si cuiquam datam pergis fidem,
Ad rastros tua actutum res redierit, teres
Digitulo salinum; ego sum mihimet proximus,
Per fas nephas si possum prospiciam mihi.
Parare studebo chœnicem etiam incommodo
Hedylogi, nec quicquam uerbis eius subseruiam,
Aduersum eum uolens prudensq; conferam
Orationis aciem, atq; aduersabor sedulo.
Si facio rem, dentibus si quod molant paro,
Ille nihil feret, patiarq; me uel ringier.
Si non progreditur institutum sub manus:
Tum demum aptabo me scenæ, atq; fabulæ
Accommodabo. fucis mantellum obuiam
Aliquod meis erit, conscendo in editum
Hunc locũ, ut frequens huc ad me concio confluat:
Verum quid potißimũ, unde accedat spes lucri
Hic pollicear, aut comminiscar? hoc ne? non
Placet: illud? haud expedit: hau quid si sic? nihil
Minus: hem quid illud? friget. deniq; repperi,
Res compendiosa ueritas est, sanctaq;.
Nimirum superorum conciliat & hominum
Animos: ipsam sectantur, inquirunt, amant.
Hinc quæstum facere, & hinc uictum corradere

Contēdam hodiernum: accurrite mortales, bonum
Summum adduco uenale (euge en numerus bonus,
Hodie procedo pulchrè, nempe cœlicam
Illam ueritatem, eam tenete. State, quid
Fugitis? quin manete. stupidiores caudice
Sunt, parieti loquor, odiosa est ueritas:
Tamen obstinatè, ut cœpi, propositum premam.

Actus tertij scæna secunda.
Septenarij Trochaici.
Hedylogus. Gulo. Eubulus. Aegio.
Hedylogus.

AGite, si quis est mortalium cui libitum siet
Monstra cernere, spectra, portenta, & rerum miracula,
Adsit huc, me uideat, obseruet me, miretur, dabo
Mira prodigia, in taurum, asinum, ceruum, suē, aut lupum
Si uelis quē abire: Iuppiter sum, efficio quod lubet.
Hermes Trismegistus, & Zoroastes, Hecate, Colchis, &
Circe, Sagana, Camidia atq; Pselli, & Marsi in me sua
Omnes contulere uno ueneficia animo, me suis
Artibus atq; dotibus imbuêre. Gulo. Contra fluminis

Cursum

Cursum nitor, et aduersis agitur ratis mea flatibus.
Ego destituor, hei gregatim ad illum populus con-
uolat.
Quin hinc me amolior? qui quem occepit quæstum
morer.
Est meo ægre animo, illi sine me obtingere quippi-
am boni,
Proin turbas ciebo. He. *hermophroditos & Tire*
sias creo,
Et dapes pasetis præbeo. G. *Nugæ, somnia, fabulæ.*
Hed. *Vbi uolo, incanto uesaniã, excanto prudẽtiã.*
Verum enim ne timueritis: uestram ne pecuniam
Carminibus meis crumenis è uestris huc euocem:
Hercle non faciam. Gul. *non Hercle faciat, etiam*
maximè
Si uelit. He. *Diuitias si quis expetat: magis hercle*
Sum dexter, Gygis polliceor annulum, atq; uirgulã
Diuinam. Gul. *Aureis diuitat nebulo fartis cento-*
nibus.
Hedyl. *Qui rapi à Veneribus, atque optari à regi*
bus gener,
Et quicq̃d pedib9 tetigerit, mox fiat rosa postulat:
Phyltra, pocula amatoria: postremum omnes dabo
gratias. *(pericula*
Gulo. *Gerræ germanæ, & λῆροι λήρων.* Hedylo. *Si*
Omnia omnis immunis mali transire gestias:

Præsentißimum offeram amuletum, & baculum laureum.

Gul. Maximus nugator, fascinator ignauißimus.

Eubu. Quin inquam mane, mane obsecro. Aeg. Maneam. Eub. Quid te is perditum?

Aeg. Perditum? quid hauriam tantum mali, nunc si audiam

Paululum facetiari, & nugari, animi gratia?

Eub. Pericris si quæ ille fabulatur, immittas tuis

Auribus. Aeg. Logus me perdet unus? Eub. Vnus te logus

Inquam perdet: idq́; non repente, at sensim ac clanculum.

Nanq; ut carcinus malum immedicabile, totū haud corripit

Continuo corpus: nec hominem protinus phthisis necat:

Sed mala hæc serpunt, diesq́; aliquot exitio proferunt:

Sic colloquia praua, herbescentem segetem mentis bonæ

Paulatim necant. Aures igitur tuas nisi clauseris,

Delicatis, mollibus, ineptis iocis: heu claudier

Fontem sentiet benignitatis patriæ tibi.

Hedyl. Deliros acheronticos senes, etiam qui iam alterum

In Charontis cymba posuere pedē, reddo pristinæ
Quum libet iuuentuti, Medeæ exemplo nobilis,
Fando si audistis cœpisse reiuuenescere Aesonem
Medeæ opera. Gu. Næ frontem impudenter perfricat scelus,
Confidenter enim garrit, cuius neq; pes cōpareat,
Neque caput, bibit uel ex gallo amne, uel laruæ atraq;
Bilis agunt hominem, mitte Aesonem, at Peliam uide ut perit.
Illi dum parat iuuentutem Medea reducere, hic
Aureos promittit mōtes, mellaq; et hibleos fauos,
Quum neque apiculam. imò & plumbeum nummum ne habeat quidem.
Aeg. An flagitium est festiuis lepôribus operam dare
Exiguam? Eubul. Sub omni lapide scorpius dormit tibi,
Insidias ubiq; tendit Diabolus, proreptat &
Quærit rimulam angustam, qua blanduli lenocinij
Insumet uel semiunciam, quam quum transmiserit,
Iacet enermis animus, tum fenestram amplam libidini
Pandit omnem ad nequitiam: uitiorum erumpunt agmina,
Parua initia corū erāt, qui sunt nunc perditissimi,

Per gradus serpit malū: ut cœpit, resiste in limine:
Opprime dum nouum est. Aeg. Ah tu enecas me,
religio irrita est
Excolare culicem: si camelum temerè glutias.
Non rectè ex anguilla peiorē facis angue uiperā.
Eubul. Ah si sapias Aegio, liquido sanè & facilè
intelligas,
Demissa in animum tenerum iocularia quantum ef-
fœminent.
Illecebra illecebram parit, Lycurgus & Cato, &
Helias,
Ad nequitiam possunt, si ausculent, profecto ad-
ducier.
Aegio. Aufer isthæc, etiam si alliges me tormento
ferreo,
Non me retineas. Eu. Eia mane. abijt, operam per
didi.
Hed. Tam capitalis nemini est hostis, quin si libitū
est mihi,
Conceptis queam uerbis sarcire integrè gratiam,
Et redire cogam in gratiam longe efficatius:
Quàm aut Iunonis aut Veneris cesto. Gulo. Vt ei
dij malum duint.
Sic hyberas nugas, atq; portentosas nænias
Blaterat. Hedul. En ego me comparo ut specimen
dem artis meæ.

In manu mea uestri sunt animi, confestim sacros
Vt susurros murmurarim, uos uel ingratis mihi
Conciliauero, quin momus ille sentus, squalidus,
Et fame æger nimia, qui nũc iam ex diametro pu-
gnat in
Me, odium ponet, dextram iunget, fauebit cãdide.
G. Vt cõfidit fascinator? tenebras cudit, uerba dat
Hed. Accingor: date operam, si non re ipsa com-
probauero
Quæ expectatis: sim ridiculus asinus inter simias.
Iuppiter, Venus, triadesq́; prosperè reducite in
Gratiam æmulos, Mercurio dextero internuncio
Iras, carmina atterite mea, tu mihi qui male uis,
redi ad
Mentem: γνῶθι καιρὸν τὸ ὄρνεον σπεῦδε πρὸς τὸν
βρόχον.
Syncretismus è re est nostra, nõ pugna, at pax fert
lucrum. *(dos*
Spectatores, hoc nisi carmine, plane erga me cãdi
Vobis infudit animos, mulctate, occidite, funditus
Me. Gul. Satius profecto est cum homine inire gra-
tiam bonam,
Quippe ei si cõmoda cõgruunt: ut propitios deos
Dexterosq́; habet: recipiar in partem consortij,
Album addo igitur calculum. Thesens redditus ex
zoilo,

Hem

Hem, tuus sum, non meus, ueneficijs ita me tuis
Alligasti, tu qui hic consutis lemurum & magicis dolis
Adstas. Hedylo. *Imò equidem tunicis consutis adsto, non dolis.*
Gul. *Hau, hau, homo tun' sanus es? qui tunicis hic adstare te,*
Autumas, non pedibus. Hed. *Callidè hercle tu, atqui men' uides?*
Haud assum pedibus. Gulo. *Ita profectò elixum te mauelim.*
Aeg. *Euax lepidos homines, delicias loquuntur & rosas.*
Mœrorem exturbant, animi propulsant ægritudinem.
Gu. *Hem, nunc tu illud insta, est noster, inhiat escã, hamum uorat.*
Hed. *Exemplum artis en aliud meæ nouum hoc hic quod cernitis,*
Auferendũ ad antipodas stygijs mãdabo manibus:
Et fiet. Aeg. *Papæ.* Hedyl. *Proserpina, Pluto, Alecto, Cerbere,*
Auferte hoc hinc quò uolui foras, uidetin' dæmones
Obsequi nobis? heus reddite hoc idem. En subseruiunt.

Iterum heri mando, ut huius sit penetrabile mox annuli.

Liquido cernitis: quàm prompti, quàm præsto usque obtemperent.

Proinde sumite hoc cœnaticum genij parasitici

Pro uestrá bona opera hostimẽtũ leue, adeste heus denuò,

Efficite hoc ut lintheũ ardeat, neq; támen incẽdio

Vllam contrahat labem. en igne ardet, & immune est mali

Omnis, ecce mea ipse capio, contineo, seruo manu

Ignem illæsus impunè. Aegio: Hei, quo munere hic non dignus est?

Gul. Liberali me hercle tu quidem præditus es indole.

O magnæ spei expectationisq; adolescentule.

O olim tui quanta ingenij decurrant flumina:

Quàm clarè impetus uirtutis edas, nisi retũderet,

Reprimeretq; acumẽ istud, inhumani iugũ patris.

He. Macte animi iuuenis, nusquam ars tantam laudem inuenit mea,

Nec parauit amicos præter te, tam stupidos caudices,

Plumbeos, inertes, lapides, fungos, atq; imagines

Hominum uideas uerius quàm homines: apud quos sit fame

Pereundum, priusquam his quicquam suppeditetur tibi artibus.

Aeg. Vah tantas adeon' iacere artes? ne formida,
Virtus ut desit, curaberis à me, quin penarium
Potius cōpilabo patris. Este animo interim bono.

Actus tertij scæna tertia.

Trimetri Iambici.

Megadorus.

HVi quidnam hoc est? quæ isthæc est perturbatio
Et præcipitantia? Iamdudum incursim domum
Accurrit filius, exanimatus, insolens,
Anhelans, penè effregit foribus cardines,
Raptim in culinam se dedit, ubi, nescio
Quid, nisi surripuit quicquam escarium. Inde tū
Foras extemplo proruit se: hoc ut mali
Portendat quippiam, animus anxius in metu est.
Argumentum est mali importuna celeritas.
Vah, cui nunc credas? Ita rara est homini fides.
Nam pædagogo gnatum Eubulo tradidi
Seruandum, formandum, imbuendum moribus
Atq; literis: materiæ artificem scilicet
Probum adhibui, hoccine est boni officium uiri?
Sine arbitrio inconsultum, incomitatum, uagum
Sinere, quò fert libido, quò impellit animus?
Expostulabo grauiter hanc licentiam

Cum homine, uerum est'ne hic quem uideo coram?
ipsius est.
Quo rem resciscam, uti se habet, exploratius:
Assimulabo quasi nihil horum nouerim.

Actus tertij scæna quarta.
Senarij eiusdem generis cum uno septenario.
Eubulus. Megadorus.
Eubulus.

AT at quid agam nec quid tentem sat scio.
Iniquiore nunquam quod sciam in loco
Fui, quàm quo nunc sum, adeám ne et faciam patri
Palam, quantum expergefacit malum Aegio
Sibi? an celem? loquar ne? incendam acerrimum.
Ita acre gestat acetum in pectore. taceam
Quasi huius adiutor nequitiæ? deputer
Quouis supplicio dignus, sic refundere
Flagitia discipulûm in magistros assolent.
Præterea ubi rescierit, adeò commodè
Fortasse tractet adolescentulum: luto
E cœnoso eliceat, atq; à me amoliar
Simul crimen. at ubi inueniam iam herum? sed heus
Ellum, here salue. Mega. Ecquid noster? hem tun'
pedem ab eo?
Eub. Heu here. Mega. Quid lachrymas? saluus ne
est? Eub. Vellém quidem.

Me. Me miserum, perijt, perijt? Eubu. Haud ut tu
autumas.
Animi laborat ægritudine. Me. Oh quid audio?
Eub. Disciplinæ iamdudum nostræ transfuga,
Ad parasitos, nugones, ad ueneficos
Circumforaneos atq; magos deficit.
Illis operam dat, adhæret contumaciter:
Me reijcit, fastidit, odit, despuit.
Meg. Heu tales nactus est præceptores? capra
Gladium. Eub. Megadore affectat ad crimina uiā
Per angiportum perq; anfractus deuios,
Amens iam nunc hac se proripuit, nescio
Quid celatum sub chlamyde gestitans, sequor,
Quò ruis inquam? Ehodum ad me, resiste paululū:
Ille obsurdere. ámabo mi Aegio uolo
Te paucis, tantundem: fugere ipse quasi lupus
Clamorem, iamq; se è nostro subtraxerat
Aspectu, Megadore Megadore. Meg. Lachrymas
Vehemens mihi absumit dolor, hæc est Diaboli
Techna, hanc exorsus est telam, quo illum auferat
Nobis, nec faciet. Eubul. Aspergis aquam. Megad.
Spe trahor
Non parua illum porrò affuturum saluum, ubi
Iuuentus refrixerit, ubi pœnituit sui:
Animo morem nunc gerit, olim sapiet tamen.
Porrò meditata & formidata aduersa sunt
Omnia.

Omnia mihi. Itaq; finge, molire, effice
Opera, consilio, industria, quantum potes,
Redeat dehinc in uiam: quòd si te sensero
Officio deesse: nec conari sedulò
Hic, intellextin'? exempla haud leuia manent
Te: abs te, si pereat, eius sanguinem exigam.
Eu. Bona uerba quæso. M. Quod res est dico. Eu. Dehinc
Operoso & uigili te esse animo Eubule impero.

Actus tertij scæna quinta.

Hedylogus. Gulo. Aegio.

Senarij Iambici & Trochaici, cum uno septenario.

Hedylogus.

MAlum igitur à me mendicas tibi furcifer?
Facesse, sis à me, abin'? Gu. Abeam? Hedy. Quid tibi rei
Hic est? Gu. Nempe quod in balneo cani, hoc idem
Esse censen' hic mihi? Hedy. Nempe idipsum, cho mihi
Non licere rem meam me solum uti? uolo
Loqui atq; cogitare te sine arbitro.
Quid tu malùm me sequeris? Gul. Decretum est mihi,
Quasi umbra siem quoquo tendis te persequi.
Hed. Quid si directus hinc abeam in malā crucē?

G. Est certum mihi tecum ad crucem usq; pergere
Teq; si detrectet carnifex: suffigere
In sublime, qui pascas coruos. Hed. Quid restitas?
Amolieris te hinc, malùm, heus umbra? G. Siquidem
Prædam ex æquo facis dimidiam, quæq; me
Contigit, partem actutum das. Hed. Siquidem tibi
Infortunium dabo: nisi hinc te protinus
Aufers. Gul. tún'me, tún'uerbis proteles tuis?
Ne fiam lucri, qui & laboris particeps
Fui? Aeg. Opportuné huc contuli me: ut fabulam
Hanc spectẽ, & suauiter arbitrer. H. Cessas loqui
Proterue? tantum si lubet: hem cape, tange sis.
Gul. Ne me irritasses: crabro sum irritabilis.
Fames & mora bilem in nares mihi conciunt:
At contumelia ista acuit iras. Hed. Itán
Verò auferas heus carnifex? Gul. Trifurcifer
Feris? hem tibi, tu quoq; uicißim uapula.
Aeg. Ha ha he, dum uelitantur, certant, raptitant,
Et discernunt pugnis rixisq;, uter cibo
Potiatur: hic ut solus, ille sortis in
Partem, ut recipiatur, uterq; à cibo excidit:
Ex ipsis suis bolum amisere faucibus,
Feruescente enim certamine, en uorax canis
Aduenit, rapit depositam humi escam, atque illico
In pedes se dat, risu emorior, quàm gaudio
Delibutus est Molosi animus: uortit bene

Ipsi professò, at illis infœliciter:
Vt uulgo solet inter quos malè gratia coit,
Pernitiosa omnibus est semper contentio.

Actus quarti scœna prima.

Octonarij & Septenarij Iambici.

Diab. Hedylogus.

Diabolus.

VBi tandem meos inueniam? ubi nanciscar? differam.
Dilacerabo infortunijs, uah tam segniter ac frigidè
Mastigias delegatum sibi curare negotium?
Tātæ ne molis, tantæ industriæ, imperitum omnis rei
Iuuenem ad nequitiam pertrahere atq; persuadere, quò solum
Vertat. Hed. Quis hic loquitur? nullus sum, herus est, qui utinam aut hic non sit, aut
Ego alibi, tam ædepol est toruus, si sinapi uictitet,
Adeò Hercle tristem reddi posse nunq̃ censeam,
Iracundo iracundior Hadria: Stentore clamosior,
Minus quietus Euripo, nequit consistere,
Ita est homo, semper iurgat, turbat, mulctat, malo enecat.
Quiduis potiùs quàm tam uiolentum imperiū perferas.

Sed cesso me hinc surripere? eia age subita te mox
subtrahe fuga
Hedyloge. Diab. Quem malum audio hic? tam ne-
quitiæ & criminum (nus.
Caput, talaria induas, surripiasq; hinc te proti-
Vos quærito stabula flagitij, adeón cessatum opor
tuit?
Hem, nondum laqueis inclusistis illum ter uenefici?
Hed. Nō potis est, sic Eubulus pædagogus instruit,
monet,
Insidias indicat, nostrisq; clypeum telis obijcit.
Diab. Furcifer, iniectam tragulam seni, factamq;
fabricam
Oportuit, & eiectum omnem à parendo discipu-
li animum.
Id si succederet minus ex sentētia: sacra anchora
Soluenda erat, nostrisq; pugnandum triarijs.
Hed. Adeo inuolutè & nodose loqueris ænigmata.
Non Hercle intelligo. Dia. Non? hem. Hed. Non,
Hedylogus ego
Sum, haud Oedipus. Dia. Nempe ego aperte dicā:
túne nescis &
Includi quasi sagena, multorum milia hominum?
Sagena hæc est uoluptas, qua seueros iam diu
Frustra omni telorum genere oppugnatos, tandem
sub iugum

Subigimus: ille hac machina, hoc erat pulsandus ariete.

Voluptatis species ob mētis oculos posita, adamantinos,

Irrisibiles & ferreos rapiet ad nequitiam titos.

Quantumuis luctentur: si fixus hæret uiatus in animo,

Hac concussi balista, hac obruti cadent phalarica,

Quid, intellextin'? an nondum etiam hoc? Hedy. Imò probè.

Dia. Hac igitur nunc in harena desudascite.

Actus quarti scæna secunda.

Scazontes.

Eubulus. Dromo.

Eubulus.

HAc illac circumcursa Dromo, caue sodes
Vllo consistas in loco: nisi iumentum,
Adductumq; prius curaueris herilem ad me
Filium: idem porrò ut faciant, quisquis est nostræ
Familiæ, commoneto, si expetunt illum
Saluum: audio in puerum fallaciam intendi
Ineuitabilem: nisi iuuamus nos,
Et summa nitimur ope: nam uoluptate
Adoriri adornant, uiolento admodum telo &
Ingente. non temere diunt fabulæ, uisa
Medusa in saxa extemplo abijsse eos qui illam

Vidissent: sic Diana quoq; suum arbitrum
In ceruum mutauit: ratione eadem, quum
Voluptatum illecebra deuinxerit sese
Semel animus: ingratis ea: em relabetur
Ad consilia, quasi sus ad uolutabrum,
Nec meminit aut uirtutis, aut honestatis,
Tanquam qui Lothon edit: patriæ terræ
Redditur immemor: è sue Gryllus recusauit
Restitui, ut Circes biberat poculum: cantu
Multi Sirenûm, periere rate subuersa.
Docent exempla hæc, uitæ semitas illos
Nunquam apprehensuros, qui amplexi uoluptatem
Hac deliniti sunt semel: amplius dico,
Aspectus exurit, detorquet ad praua,
Exest medullas, incunabula æternæ
Mortis, cupiditates transfundit in mentem.
Aegio animi fenestras, sedulò adseruet:
Ne mors illac ad animum subdole irrepat:
Hoc ut fuat: neruos intendit huc omneis
Iniquus grex. Id nostro nuncia raptim,
Ego hac approperabo: illac cursitato tu
Ocius, opus est facto. Dro. Opera dabitur, Eubule
Vale, nostrum iter utriusq; bene deus uertat.

Actus quarti scæna tertia.

Diabolus. Dromo.

Diabolus.

Num

Num nostras ille, huc magnis q affectat uiam
Gradibus? nõ. Megadori est, ut grallatorius
Grandes grandit gradus? nimirum subolet his,
Quod machinamur, eludendus hic est mihi,
Ne pugnam nobis siue turbam det aliquam,
Dum ad nequitiam in nostro docetur Aegio
Ludo. Dro. Moue abs te omnem moram Dromo at
que age
Hanc rem, ubi nunc illum inueniam? quod si quis
mihi
Eum indicasset: quiduis optatum feret.
Dia. Abigendus ille hinc mihi est, heus tu apage sis
Te hinc. Dro. Tu ire quenquã publica uetes uia?
Dia. Ita Hercle uerò ueto: adeoq; infortunium
Inuenies, nisi celerem maturaris fugam.
Dr. Atqui hæc uis est. Di. Sic sum, nihil refert mea,
Dum id quod uolo, modo impetrasso. Drom. Durus
es.
Dia. Nullius gratiam moror, aut ingratias.
Maleficio adiungere mihi, non beneficio
Consueui homines. Drom. Quin quò me herus ire
uult sinis?
Dia. Quin nihili facio. Dro. Quin ingratis. Diab.
Quin neq;
Pol sinam. Itán pergis mastigia? abi uapula.
Dro. Hei mihi, sed eccum quem quæro, dictator en

Nihili in minimi precij senatu præsidet:
Nec mihi conferre cum homine sermonem licet,
Neque malarum rerum autores refellere.

Actus quarti scæna quarta.

Octonarij Septenarij Senarij, Iambici
Septenarij, Trochaici nonnulli:
Aegio. Hedylogus. Gulo. Diabolus.

ECquid Sarcophilia amat nos? Hed. Amat? an ardeat potius roga.
Ae. Ain? He. Non sic flammiuomis ignibus Aethna flagrat. Ae. Pol, beas
Me. Gulo. Misera somniat, te cogitat, te deperit, ita se
Cruciat, macerat, afflictat misera præ amore. fastidirier
Se abs te si sentiat, perierit è uestigio
Prudens, uolens, uidens, uiuensq́; sic deamat medullitus.
Non est quod causseris, non amari cuiquam incognita:
Vnde hinc notio me? Aeg. Pulchrè scrupulum ex animo eximis.
Gulo. Dum uirtutes prædico tuas, quasi Naphtha incendio
Rapitur. Hedy. Vt ingenua est & liberalis: oppidò est

Aegre illi, tã arcte cõtenteq; haberi te, nã spiritus
Generosus, libertatis est amans, proinde te citat
Libello uenereo: hem sume literas sui amoris indices.

Ae. Sarcophilia Aegioni ex animo plurimam
Dicit salutem. Mi anime misereat tui
Te, ut me tui misertum est, itidem te mei
Iuxta misereat, mea uoluptas, mel meum,
Mea lux, meus ocellus, mea uita, corculum
Meum, amore langueo nimio, & instar niuis
Sole incalescente liquesco: nisi te mei
Misereat itidem, ut est misertum me tui,
Occisissima sum, ut tu etiam es occisissimus.
Veni, duos una serua opera: si duos
Nolis, ut me malo dignam exitio putes:
Tu indignus es qui intereas, sis curæ tibi
Veni, mi pulle, ueni mi passer, carceris
Tui desere pedorem, fuge tyrannidem
Duri patris, qui te geniumq; nobilem
Istum, omni fraudat fructu gaudij, uale
Palæstra ex Hierichontea, ô iterum uale.
Vix apud me sum, sic ardeo, æstuo cupidine.

Dia. Heus flagricibæ adijcite uirus serpentibus, et addite oleum
Camino, quem petat turdus cibum, à transenna ostendite.

 Hed.

Hed. Ohe teneo, uin' Aegio uidere tuæ uultum candidum (les,
Veneris, et luculentã formam, ocellos perq̃ amabi
Colorem uerũ, os roseũ? Ae. Iamdudũ istuc gestio.
Hed. Hem uide.

Sarcophilia hic saltabit cum Cupidine,
Marte, & Como latronibus.

Actus quinti scæna prima.

Senarij. Iambici.

Hedylogus. Aegio. Eubulus.

Hedylogus.

VIden' quàm sint tibi secundæ de tuo
Amore res omnes? quid sentin'? Aegi. Admodum.
Hedyl. Nimirum senticeto inhæres aspero.
Aeg. Vbi tu quæ tam imperiose uadimonijs
Vadata es uenereis me? ocelli me tui
Cepere, leues nutus, collum tornatile,
Te suspiro, te inhio, ad te mea uita aduolo.
Eubul. Cursando atque ambulando contriui hunc diem,
Nec quem quæro, inuenio Aegionem. Sed quis est
Delirus ille, temulentus, lymphaticus?
Au, noster est: is de quo agebam: proh dei
Fidem atq; hominum, quis ad hunc te exagitat modum?

Quæ te intemperiæ, quæ laruæ aut monstra stimulant?

Aegi. Totum me Sarcophilia tenet: duc quò libet.
Vbi sim nescio: ubi sum, ibi non sum: atq; ubi
Non sum, ibi animus est meus. Eub. Ad mentem obsecro redi.
Eheu quò Corycæi te pepulere? quò
Redegere? redi oro in uiam. Ae. Lux mea, mea
Animula, mea uoluptas, ad te uernulum ô
Meum propere ruo. Eub. Perit, occisa est salus,
In pertusum ingero dicta irrita dolium,
Quid uerba mortuo facio? uersabere
Aegio hodie uerberibus, atq; incommodis
Augeris, frigere ut cicer, ut meus miser
Cuderis, plagis, flagris, sanguine horridus.
Aeg. Hierusalem uale, uale longum. Eub. Malè
Conciliate peris: eo ut apportem nuncium
Patri, cuius minimè optet fieri particeps,
Meq; expediam qua suspectus sum noxia.

Actus quinti scæna secunda.

Septenarij. Trochaici & Iambici Senarij.

Diabolus, Comus, Mars, Cupido,
Latrones. Aegio.

Diabolus. (appetit,
Agite sacri adeste Summistæ, plagipatida
Appropinquat insidijs. A. Egressus urbē commodū

Sum

Sum, ecce moles quædam arietat, concussatq; cor mihi,
Et dolor animum intestinus fodicat, tanquam spiculo.
Præsagit mali mens quippiam, redeam ne an progredi
Pergam: redeam? non si ipsa me reuocet salus,
Amœnitatibus omnibus prior est Venus
Mea, ô te iamiam amplectar. Latron. *Deglubite hominem,*
Dispoliate, exuuias auferemus. Aeg. *Heu miser mihi.*
Latron. *Impurum operiamus flagris, fustibus, tuber caput,*
Et reliquum corpus reddamus, ex suis uirtutibus
Ornate, plagis hulcerate, occidite.
Diab. *Bene habet, auferte prædam, en semianimus iacet.*

Actus quinti scæna tertia.

Trimetri Iambici & Trochaici uno cũ Dimetro.

Megadorus.

DE isthac Eubule requietus esto, te
Extra noxam esse sat scio, ne lachryma.
Nobis ratio inita est, illius ut sita
In tuto res sit, Samarites meus unicus,
Mea potentia, meus sermo, meum brachium,

Verum

Verum aget Samariten, uoci congruet ſuæ.
Seruatum curabit nobis & redditum.
Verum, ne tanti temerè redimam, perditum
Tentabo primùm minimo, deinde paululo.
Quod ſi non queam, at quanti queam.
Hac gratia Sacerdotem cum uictimis
Legabo, ſiquidem iuuerit: ſin hoc minus,
Leuites ibit legibus inſtructus ſacris:
Poſtremùm deſtinabo Samariten meum.

Actus quinti ſcæna quarta.
Trimetri ut ſuperiores.
Sacerdos.

IN lauta ne eſſe parte me, atq; acta bene
Cenſeo, cui aduerſus uiolentiam hoſtium
Obſidentium hæc itinera, dedit deus hoſtias,
Quibus bene ſi utar, propitietur mihi pater.
Cæterum illi tam indignis exemplis ſaucio
Nihil queant conferre, doleo ſeminecis uicem.

Actus quinti ſcæna quinta.
Trochaici ſeptenarij.
Leuites.

NOn eſt ultimæ infelicitatis ducendum loco,
Si cui cœleſtis myſterij tradita ſunt oracula,
Præſcripta à deo lex & magni decreta numinis

Credi-

Credita sunt nobis, quibus quid phas sit, quidq; sit nephas,
Exploramus haud inscitè, sicut lapidē ad Lydium.
At bruto, insulso, fatuo si hæc enarrare occeperis,
Nihilo plus agas, quàm si des operam, ut cæco purpuram
Offeras dijudicandam, aut surdo referas fabulam.
Quin irritamenta et illecebras peccandi suscitāt,
Nisi deus retundat mentis impetum, et præmolliat
Animum. Proin quum lex mea præsidij nil ferre huic queat,
Quid agam? miseret me quidem: atqui rustica est inscitia,
Aerumnosum adire ægrum, quem neq; re, neq; uerbis iuues.
Progredior igitur, mādo illius affecti curam deo.

Actus quinti scæna sexta.

Trimetri Iambici.

Samarites. Aegio.

Samarites

Non me piget agere, quod fugitāt liberi alij
Qui dum paternæ fontem munificentiæ
In alienis aliquanto uberius sentiunt
Aperiri, metiunt posse tandem claudier
Sibi: ad fundum profusa abierit largitas,
Benignitatis idcirco præcidere

Venam operam dant: ego contrà, si cui benefacit
Pater, ex animo gaudeo: si quem mittit manu,
Approbo: in hæreditatis amplæ ius meæ
Adoptat, id sanè lubente me facit:
Sin malè meritum beneficio adiungit sibi,
Laudo, ad solem comparo, qui lumen omnibus
Fruendum ultrò suum dat, si quenquam abdicat
Ob flagitia, quæ facit illiberaliter,
Animi me ango, quod possum enitor sedulò
Manibus ac pedibus, qui restituatur gradum
In pristinum, & in idem usq; insto incumbere.
Ah quantam adfert animo meo ægritudinem
Adoptati iampridem fratris calamitas,
Eheu uidens horresco, sanguine fluidus,
Corpore lacero, uulneribus altè hiantibus
Sanie atq; tabo squalidus, aspectu horridus
Iacet, eheu oculis triste spectaculum meis,
Videns excrutior, commouentur uiscera
Mihi omnia: quò mihi iumentum, uinum & oleum?
Nisi hæc præ fratre post putē, utraq; ubi opus est?
Quid cesso adire, atq; oleum uinumq; addere
Cruentis plagis? Frater euge, animo es bono.
Sodes ne metue, en infundo charismatis
Tibi gratuiti oleum, quò sis gratus deo &
Charus & electus, hoc est oleum gaudij
Atq; exultationis, Itidem usus meri

Qui

Qui sanguis uuæ est plagis confert adhibitus.
Quîs circumuecto magno studio linthea
Vt fotæ melius coëant, tibi nempe scelera
Remitto, & charitate tego, te colloco
Meum in iumentum, quî commodius hoc iter
Conficias, & incarnationis te meæ in
Vehiculum traduco, quo languores fero
Cunctorum, nanque ego plexus sum humanum ob
scelus.
Quiesce hic. Aeg. Meritò maximam habeo gra-
tiam
Tibi, ab orco in lucem & uitam reuocas, eram
Nullus, restituis me: excideram omni spe, patris
In gratiam reducis me, meritißimò
Amo te. Sama. Istam fac teneas mentem, & quid
Poßiem amicus, comperies magno tuo bono.

Actus quinti scæna septima.

Trimetri Iambici cum septenario.

Stabularius. Samarites. Aegio.

Stabularius.

STabulũ hoc est Pandochiũ, hic cõstituit herus
Receptandis curandisq; familiariter
Peregrinis uniuersis, qui huc diuerterent.
Meq; hospitem dedit, hospitalem æquè omnibus
Esse iubet, duci qui nolit, iubet trahi,
Pij exemplo Abrahæ & Loth: quod sumpti facio.

Suppe-

Suppeditat de ſuo, nec ſumptus ſumptui
Ducit quántumcumq; expendo, ſemper dati
Rationem ſuperat acceptum, ſic copiæ è
Cornu influit, intendere me ſemper & erigi
Occaſionem in omnem mandat, deputat
In lucro ſibi, quod benefit de ſuo, exco
Itaq; huc obſeruatum, ne quis beneficij
Expers prætereat: ſed quis hic eſt, uideon' herum?
Certè ipſus eſt. Salue iterum atque iterum: optatò ades
Here. Samarites: Credo, quia ſeruis tam liberaliter.
Stab. Si quid ago, aut egi quod placet, gaudeo equidem,
Idq́; eſſe gratum tibi beneficium æſtimo.
Samarites: Huc fortunatè ades æger, ſi cui contigit
Vnquam auſpicatò eſſe ægro. Aeg. In me iſtuc competit
Idq́; immeritiſſimò, hocq́; eſt maior gratia
Ad amœnitatem atq; uenuſtatem congruit
Tam aperta, humana inexpectatáq;
Mihi liberalitas. Samarites: Iſtuc rectè. Stabulari. Sine

Te adiutem here: renuit, en quàm familiariter
Introducit, quæ gerat arbitrari lubet
Hic per rimam. Proh summe deus, quàm leuiter
Depositum demulcet, curat, lauat, fouet,
Solatur? nullis deniq; uerbis dicere
Queam, quanta pius sedulitate studio &
Quasi officiorum sollicito certamine
Totam hanc emensus est noctem, uidere me
Iuuat, iuuat usq; morari, nulla sentio
Noctis tædia: sed nunc huc egreditur foras.
Quicquid me obire muneris uelis: tibi
Me dedo, obsequij quiduis impone, impera.
Sa. Misero quod benefit, id demũ gratum est mihi.
Proq́; istis meritis gratum me & numen fore
Olim cognosces in die illa, utq́; grauida
Gratia sit illa, cumulatißimis bonis:
Adduxi huc hominem calamitatibus obsitum,
Quem tibi curandum mando, tradoq́;,
In accepta refer. Accipe, hem denarios
Duos hos, quòd si quid facias impendij
Hæc præter, confice tabulas, atq; id refer
In rationes, & dum tecum in reditu puto
Reduc ad calculum: reponamq́; ampliter
Tibi. Stab. De isthoc animus in tranquillo est mihi,
Lubens in hoc incumbam, & morem tibi geram.

Vale, ô here, concedo intrò, ut ægri curam agam.
Congratulor homini, atq; gaudeo mihi:
Illi salutem, mihi parata præmia.

MORIO

SPectatores, hic si manetis, denuo
Huc illi dum exeant ad uos, perit opera
Vobis, intus conficietur negotium.
Aegio comiter excipitur, intus Pandocheus
Nummos dispensat, qui si mihi sint crediti,
Minimè domi, sed in popina absumerem.
Neu Samaritem expectate, haud hodie aderit.

PERORATIO.

TAce uerbero, quin spectatores optimi
Agite, expectate uenturum dominum, quia
Vita uigilia est, & palma posita est uigilibus
Non temerè est, nec uacat mysterio, hospiti
A Samaritano Christo non nisi duos
Nummos, eosq; argenteos decadi sacros
In impensam dari, nimirum symbola
Vtriusq; legis Mosceæ atq; Euangelæ
Aut præcipui utriusq; mandati, unde lex

Dependet uniuersa, & magna oracula
Vatum, hæc argenti candorem sancte retinent
Et puritatem, spectantq; sacrum ad decalogum.
Stabulario traduntur. Est Stabularius
Autem omnis homo. Scriptum est: Deus de proximo
Mandauit unicuiq;, sed huc non respicit
Noster Samarites, designat enim Ecclesiæ
Capita & columnas, qui à Petro quasi per manus
Lampada cursu accepere commißi gregis
Curam, Petrus suis cum successoribus
Est Pandocheus, illi nummi sunt traditi
Euangelici: neq; erogare solum habet
Illos: sed & alios sua pro industria.
Sed uestram spectatores personam Aegio
Præfert, uos estis hiulci, laceri, saucij,
Plagis uitiorum inpactis à cacodæmone,
Semper sollicitante ad peßima: ne metuite
Tamen, ubertim uino madetis & oleo
Christi, alligatis uulneribus fœliciter.
Oleum spiritus est sanctus, his nouißimis
Diebus effusus in omnem carnem, deus
Omnes saluos uult fieri, uinum sanguis est
Eius, in eo tincti estis, & ut erratica
Ouis reducti in stabulum. moriens omnia

Ad sese traxit dominus. Alligatio
Vestrorum uulnerum numinis est charitas,
Qua donat, delet, abolet uestra crimina:
Veruntamen adhuc infirmi estis: nam caro,
Nescio quo fato, est ægra ad munia spiritus.
Quapropter Pandocheo cui uos tradidit
I E S V S, ex animo morem gerite, & uti
Paulus ait, subiacete. Peruigilat enim
Pro uobis. Ergo in Pandochio beneuoli
Curatorem admittite, simul cauete, ne
Eius præscripta despuatis. Sic dies
Hic uobis fortunatus fuerit. Plaudite.

D 5 I O.

COMOEDIAE FINIS.

IOANNES BERVS, Aemstelredamus.

Hos mirè lepidos & elegantes
Pubes ingeniosa uolue uersus,
Ter magnus tibi quos Erasmus ille
Ipso in flore statim uirentis æui,
Præceptore sub Hegio subactum
Prodens ingenium, suaue lusit.
At ne quid remorêre lectitando,
Non magnis scholijs quidem, sed aptis,
Ex æquo pius atq; literatus
Extricat remoras Alardus omneis.

AEGLOGAE SEQVENTIS ARGVmentum per Alardum Aemstelredamum.

Non sic scorpius improbus timendus,
Vt lasciua, salax, & impudica
Vitanda est Galatæa, blanda Siren,
Dulci melle litum uenenum amarum,
Citra ligna focósue fax adurens,
Clangoremq; tubæ cruenta strages,
Præsens exitium, caput malorum:
Nimirum mulier parum modesta,
Inconstans, uaga, fraudulenta, nequam,

Paßim

Paßim sollicitans modo hunc, modo illum,
Quem contaminet, affricetq; morbum,
Incautum illaqueet, trahátue captum:
Vocis mellifluæ suauitate
Demulcens rudiusculos ephœbos,
Thermas, templa, forum frequentitantes:
Cuiuis insidias ubiq; tendens
Insultansq́; ferociensq́; uictrix:
Blando uipereum uomens ab ore.
Virus. quod stabulis lupus, quod imbres
Lætis frugibus, & satis adultis,
Quod uenti arboribus, quod auster aruis,
Hoc est fœmina lubricæ iuuentæ.
Quòd saluo nequeat pudore dici,
Flagrans insatiabili furore,
Et uæcors animi impotente morbo,
Semper prurit & æstuat calore,
Nunc lenocinijs rudes inescans,
Nunc dans suauia dulciora melle
Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ:
Nunc & lacteolis trahens papillis,
Exertis modo uellicans lacertis,
Non rarò Magicis sacris adurens,
Et lethalia philtra clàm propinans,
Occurrens meretricio decore,

Tota purpureo nitens colore,
Applaudensq́; habitu uenustiori.
Stillant labra quidem fauum atq; nectar.
Ceruix lactea, molliusq́; collum
Est pluma, Syrium fragrans oliuum,
Affatimq́; scatens fragrantiarum:
At postrema nimis quàm amara semper
Sunt, ceu absynthium, acutaq́; instar ensis:
Qui cor mille trucidat enecatq́;
Vrgentum stimulis molestiarum.
Ne fallare, sagaciter caueto.
Disce unde immineat tibi periclum.
Proin, si quid sapies, domi manebis,
Aspectus fugies libidinosos,
Ac nihil melius fuga putabis.
Fraternè moneo fideliterq́;,
Ne me fortè putes fuisse falsum.
Hac te Pamphilus Aegloga docebit.

ALIVD.

Vis tyrocinio cauere Tyro,
Quæ mox inficiunt rudem iuuentam,
Aetatem uiridemq́; lubricamq́;
Corrumpunt, uitiant, trahunt & afflant?
Aspectus fugito libidinosos.
Persuadeto tibi, quòd inde manat

Cunct.

Cunctarum pelagus molestiarum.
Hac quod Pamphilus Aegloga docebit,
Qua nil tersius elegantiúsue.

ALIVD

Vt belle ualeas, alacriterq;
Degas, tutus ab omnibus periclis:
Aspectus fugito libidinosos.
Ex his colluuies scatet malorum,
Fel, absynthia, pœnitudo, amaror,
Sardois & amariora succis,
Morbus, pernities, lues, barathrum.
Persuasit pietas, ut hoc monerem,
Ne frustrà monuisse suspicère,
Audi Pamphilon hoc idem docentem.

D. ERASMI
ROTERODAMI CARMEN BV colicum.

PAMPHILVS ἔρως.

PAMPHILVS insano Galatææ captus amore, (ta,
Stridenti tacita solus sub nocte cicu
Rumpebat longo rutilantia sydera questu.

Quem circum niueæ quondam unica cura capel-
læ
Errant, & gelidis neglecti in uallibus agni.
Nec stabulis egisse pecus, nec culmina tecti,
Nec sera meminit deserta reuisere nocte.
Rore procul tantum madida proiectus in herba,
Crudeles querula meditatur arundine flammas,
Huc ades ô Galatæa mei medicina furoris.
Huc ades, extremum uel uisito funus amantis.
Pamphilus ecce uocat tuus ô Galatæa, peritq́;.
Et tu flammiuomæ duris in collibus Aetnæ,
Mollibus indignum refoues Polypomon in ulnis.
Ah tibi setosi ne candida colla lacerti,
Barba ah ne tenerum tibi conterat hispida men-
tum.
Huc ades ô Galatæa, hic uitrea flumina iuxta
Gramine florigero, uiridi recubabimus umbra.
Pamphile quid sterili iuuat indulgere labori?
Desine, non tanto certasse licebit amanti,
Et certasse tamen, quid tum, si uertice Cyclops
Sydera sublimi feriat? licet audiat ipse
Quantuscunq;, nec illi cessero carmine: sola
Voce uelit, uelit arguta cecinisse cicuta.
Molle pecus niuei sunt & mihi uallibus agni.
Corpore Dametas, uultu mihi credit Amyntas.

Non mihi taurinis ceruix riget horrida pilis,
Pectora sunt nobis candentia, læuia nobis
Ora, quid amplexus,, quid amas insana caninos?
Pamphile littus aras: crudelibus aspera † cerne † Cerue.
Auribus effusas refugit Galatæa querelas.
Quid speras, sed & esto uelit, uetat ille uolentem,
Quin morere, & longos componito morte dolores.
Extremum hoc Galatæa tui cape munus amantis.
Extremum Galatæa uale, Galatæa ualeto.
Sic ait, & pulsæ referebant carmina rupes.
Omne nemus Galatæa sonat, sonat arduus æther.
Tethys interea Tithonis ab æquore coniunx,
Paulatim croceis subuecta iugalibus alto,
Iam rarescentem pellebat ab æthere Noctem.
Et iam Phœbeæ feruentia sydera rupis,
Culmina uix dubio cœpere rubescere sole.
Cinctus & ecce Damon uiridanti tempora myrto,
Lætus agit teneras ad pascua nota capellas.
Damon, pastorum quo non annosior alter
Cui iam depositis niteat frons nuda capillis,
Qui iam ter centum cum Nestore computet annos,

Vna uiro seræ requies & cura senectæ,
Tortilis hirsuto pendebat fistula collo.
Hic ubi roranti resupinum Pamphilon herba
Aspicit, his miserum dictis compellat amantem,
Quænam sub gelido tenuit Ioue Pamphile causa
Teq; pecusq; tuum: fluitas quia totus, & ecce
Nocturno madet omne pecus sua uellera rore.
Si uacat ô Siculûm pastorum gloria Damon
Vna, tibi nostros referam moriturus amores.
Cum sol hesternus medium transmensus Olympũ,
Vreret igniuomis arentes æstibus herbas,
Atq; ego, ne quicquam noceat calor ille capellis,
Formosi nemoris capto sitientibus umbram:
Illic fortè sacræ uideo sub tegmine lauri,
Naiades Aonidesq; simul, Dryadesq; puellas
Ducere solennes cantu modulante choreas,
Pan calamo, pulcher cithara ludebat Apollo,
Omnis & in numeros agitabat brachia cœtus,
Pulsabat humiles pedibus salientibus herbas.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Ibat formosis formosior addita nymphis,
Et gracilis toti extabat Galatæa coronæ.
Digna deo facies, ipso dignus Ioue uultus,
Non illi igniferi Cytherea parens pueri, me
Iudice, non illi certarit pulchra Diana.

Vide

Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Germanam quantum Phœben lux aurea Phœbi,
Luciferum roseo quantum Phœbe aurea uultu,
Cætera quàm radians præcellit Lucifer astra,
Tam forma socias uincit Galatæa puellas.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Cæsaries capitis fuluo crispantior auro,
Vndiq; ceruicem circumuolitabat eburnam.
Ardentes oculi, liquido caro læuior amne,
Candidiorq; niue, superis rutilantior astris.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Adfuit & medijs puer improbus ille choreis
Nudus membra, genasq;, leuisq;, & captus ocellis,
Armatus facibus, leuibusq; uolatilis alis,
Adfuit, & medius medio stetit improbus orbe.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Hic mihi fulgenti promens sua tela pharetra,
Flammifera stupidum traiecit arundine pectus.
Pectora traiecit, calidumq; per ossa cucurrit
Virus, & in medias serpsit furor ille medullas.
Serpsit, & insuetis caluerunt intima flammis.
Hinc perij, atq; grauis cœpit mihi uita uideri.
Et iam uirgineas me conspectante choreas
Ibat supremi spacia ultima Phœbus Olympi.
Quid facerem? iã tempus erat, quo septa capellæ,

Quo repetant pasti præsepia nota iuuenci.
Me dirus retinebat amor, sequor inuia saltus
Perditus, & questu Galatæam sector inani,
Et uano clamore uoco, fugit illa uocantem,
Nil lachrymas miserata meas, nil flexa querelis,
Cautibus Ismarijs immotior, aspide sæua
Durior: aëriæ summis in rupibus Aetnæ
Immani sese Polyphemi condidit antro.
Hinc perij, atq; grauis cœpit mihi uita uideri
Tum redeo tandem, sequitur grex tristis euntem.
Atq; hic, cum iam spes misero mihi nulla superstit,
Mortē oro superos, certè aut (quod gratius esset)
Improba permutent Galatææ pectora nostræ.

FINIS.


DISCITE
IVSTITIAM MONITI.

Poëmata
ALBERTI EVFRENI GEORGIADIS,
Amstelo-Batavi,
POESEOS ET MEDICINÆ Studiosi.

Erotica.

Basia.

Coma.

Sylua.

Hieronimus ad Pammachium.
Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit: Amicus, praua quoque recta iudicat.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex officinâ
CHRISTOPHORI GVYOTI,
Anno cIↃ. IↃ. CI.
Ineunte Mense Principe.

4

Amplißimo, Spectatißimo, Doctrinâque ſimul & vir-tute claro

D. SYBRANDO BVICKIO, Amſtelredamæo,

Viro Conſulari; Magni illius

IODOCI BVICKI, Senatoris, & decies-ſexcies quandam Amſterodamenſis vrbis Conſulis, filio.

DVM *hæc typis planè indigna carmina, (vir Amplißime)* inter ſtudia cudimus, ludimus; commeantes quotidie ad nos amici editionem ſuadent, poſtulant, vrgent: viceruntque tandem & extorſerunt, importunæ & aſsiduæ

amicorum petitiones. *Considerantі* vero mihi, quàm hoc plenum calumniarum æuum, & quàm iniquis maleuolorum dentibus, tenellus meus fœtus, si sine tutore in lucem prodiisset, excipiendus esset; tu primus occurris, (vir *Amplissime*) cui nouum hunc & abortiuum planè immaturi studij mei fœtum tutò committere ausim. *Quapropter Amplitudinem tuam* deprecor, vt libelli huius mei patronem agere dignetur; & me tyronem in hac palæstrâ, contra omnes obgannientium zoilorum morsus protegere, tutari, defendere. Porro *Amplitudinem tuam* non offendant, hæc nostra ludicra, & iuuenilia metra; quæ non ex Helicone aut Pegaseis fluminibus petita; sed de tenui tantum ingenioli mei riuulo hausta. Quoniam autem ab animo bono,

syn-

ſyncero, & tui amante profecta; æqui bonique, pro more tuo, coſulas velim. DEVS OPT. MAX. *Amplitudinem tuam* diu incolumem conſeruare dignetur. Haue. Datum, in Muſæo noſtro, Lugduni Batauorum, Anno poſt partum Sacratiſsimæ virginis Deiparæ cIↄ. Iↄ. cI. Menſe Principe.

Amplitudini tuæ

addictiſsimus

ALBERTVS EVFRENIVS

GEORGIADES,

Amſtelo-Batauus,

Elegia,
Ad Eundem.

Lvsimvs *hos,* Heros, *lusus iuuenilibus annis,*
Dum vacua à studijs tempora parua meis.
Do leuia, & nugas; sed pars mihi maxima tantum
Mensibus illorum est emodulata tribus:
Quattuor & primum nobis iam lustra peracta.
Nostra ætas scriptis talibus apta magis.
Quæ Marti *est habilis,* Veneri *quoque conuenit ætas:*
Vtraque sunt iuuenum bella gerenda manu.
Hinc Marti Venerem *docti iunxere* Poëtæ:
Strennuus hinc Veneris Mars *quoque furta petit.*
Sed non offendant, ferimus quæ scripta iocosa:
Namque haud lasciuum carmina nostra sonant.
Non grauis at casto *tu nunc ignoscis* Amori,
Ni fallor. Læta suscipe fronte iocos,
Quos tibi dicatos Eufrenius *obtulit, audax,*
Qui dat tam claro ludicra metra viro.
Tu faueas tamen, & nostro huic ignosce labori;
Et mentem, si non carmina, sume bonam.
Et sic confido; sic mens mihi suggerit, addens,
Atque alacrem instigans ad meliora animum.
Ergo cape hæc, rudibus iuueniliter edita in annis,
Sybrande, Amsteliûm gloria, stirpis honor.

Hexa-

Ad Eundem.

I, *pete* ſegnities *animos exoſa timentes.*
Nos iuuat in campum ſignum producere. Tandem
Audendum: Mentes nam vult res magna viriles;
Arduaque audaci *commonſtrat* ſydera virtus.
Res ingens, ſua ſcripta virûm diffundere in ora,
Iudiciumque *pati multorum: Nam probat ille;*
Dentibus hic lacerat verſus, contemnere ducens
Artis opus, quæ non depromp ſerit ipſe pharetrâ.
Ergo pedem referemus? At hoc ſpes *fida recuſat;*
Nec patitur dare terga fugæ: *ſed in acria trudit*
Bella & victori *deſpondet* præmia. *Iam iam*
Rumpere Liuor *iners. quicquid potes, effice.* Dextram
Iam conferre lubet; nec verbula vana fugabunt.
Tu facis hoc, cunctis Heros *memorabile ſæclis;*
Patria *quo felix lætata eſt* Conſule *quondam.*
Sub veſtro tuti clypeo *latitemus ab hoſte.*
Tu potes à morſu *imbelles defendere* verſus:
Nam, quiſnam tantum ſe contra opponere tentet?
Sed iam (ſi mens *me non decipit) annuis; & me*
Zoïleos *contra* latratus *protegis omnes.*

BONAVENTVRA VVLCANIVS Brugensis,

Græcæ Linguæ in Academiâ Lugduno-Batauâ Professor,

AD ALBERTVM EVPHRÆNIVM Amstelredamensem,

Erotica, Basia, & Comam edentem.

BASIA *dū pangit* Ianus *mellita* Secundus,
Vatum *est secundus nemini.*
Lernutius, *dios* Hyades *dum cantat* Ocellos,
Ocellus *audit* Belgices.
Magna tuis etiam Euphræni *tibi gloria surgit*
E Basijs *simul, &* Comis.
Fallor. an ipsa tuum myrti viridantis honore
Venus *coronat verticem?*

In gra-

In gratiam

ALBERTI EVFRENI

Amstelodamensis.

CYPRIPOR *à dulci certamine languidus errat,*
Sordidus & multo puluere quærit aquas.
Quærit aquas; totumque celer dum circitat orbem,
Amstelis Vrbs *vndis gaudet aquosa tuis:*
Gaudet, & Amstelio *se cernuat amne lauandum*
Cum face cum cornu cum iaculisque suis.
Hic vbi nunc frontem limfis nunc tempora tingit,
Nunc descendentes mersat ab aure comas:
Decidit è dextro fomes paruissimus armo,
Magna sed in pauro fomite flamma fuit.
Namque omnes inficit aquas, & Naïdas *vssit:*
Hei mihi, quàm vafer, quàm catus ille Puer!
Ipsum credibile est labi voluisse fauillam
Lampadis, Amstelias *vt violaret aquas.*
Sic quoscunque palam nequit ad sua signa vocare,
Pellicit ad casses clàm veterator Amor.
En meus imprudens bibit has Eufrenius *vndas*
Nuper, & ex isto tempore semper amat.
Tu quicunque rudis, nulloque Cupidine *tactus,*
Hûc hûc; si caperis forsan Amore *capi:*
Hûc hûc. ad fontem digitum hic intenderit Herma,
Scîlicèt ad flammas optimus Herma *suas.*

Ludibundus scripsi

PETRVS SCRIVERIVS.

Ad eruditum Iuuenem

D. ALBERTVM EVFRENIVM, cum ἐρωτικὰ ſua edi curabat.

Ἀνδρομάχης θρήνους, ὀλοήν τ' Ἰλίοιο ἅλωσιν,
Ἔμμετρα φασκόντων, οἷς ποτε ταῦτα μέλει.
Ἀλλ' οὐκ ΕΥΦΡΕΝΙΟΣ τόδε ἐν φρεσὶ θῆκεν ἔπειτ'
ᾧ τινα τόνδ' ἔνδον νοῦς ἐχάραξε λόγον.
Αἰνείαν πατρὸς εἰ ὤμοις χρόα βαστάζοντα
Φαίη Βιργίλιος, θαῦμα μέγ' ὁμοπόλων.
Ἕκτορ' Ἀχιλλείοις ἄθλιόν γ' ὅτ' ἐσύρετο ἵπποις,
Μαιονίδης αὐτοῦ εἶν ἐπέεσσι λέγοι.
Ἀλλά σὺ Παρθενικῶν, (τὸ μὲν οὐ τόλμησέ τις ἄλλος,)
Τὰς εὐσχημοσύνας ἐν μελέεσσι τίθει.
Ὣς ἄρ' ἔφη· κεῖνος τ' οὐ τοῖς δ' ἀπίθησε λόγοισι,
Ἀλλὰ τόδ' αὐτὸ, ἰδοὺ, ἐξεπόνησε ἔπος.
Ἔννεπε μοῦσ' οἵης κούρας τόνδ' ἄξιον οἴει,
Ὧδέ γε παρθενικαῖς πολλὰ χαριζόμενον;

Id latinè ſic vertebam.

ANDROMACHES *fletus, atque alta funera* Troiæ,
Sit ſanè in numeros qui ferat iſta ſuos.
Aſt alia Eufrenio *ſedit ſententia menti,*
Talia quando animo cogitat ille ſuo.
Æneam, *caro cum ſubdit colla parenti,*
Virgilius, *vatum gloria magna, canat.*

Hectora,

Hectora, Achillæis discerptum in segmina plaustris
Lugeat immensum conditor Iliados.
Sed tu, virgo *potest propter quæ sola placere,*
Hæc sola in numeros perge referre tuos.
Sic ait: & falsæ non te egit vocis imago:
Antè etenim quod mens suaserat, ecce, facis.
Dic mihi Musa, *putes quanam illum virgine dignum,*
Qui de virginibus tam benè promeruit?

GVLIELMVS CODDÆVS.

Epigramma
Doctißimo Ornatißimóque Iuueni
D. ALBERTO EVFRENIO,
Poëmatia sua Erotica meditanti.

PVLCHRA Isabella *tuo* Eufreni *mihi carmine nota (est,*
Pectit vt auratas versibus illa comas;
Et sparsos stringit per eburnea colla capillos,
Qui poterant summo complacuisse Ioui;
Vt cupidè dedit Eufreno *tibi plurima collo*
Basia, *sat multis multa petita procis.*
Omnia sunt isthæc mihi carmine nota; tibiq́ue
Gratulor, in verbis pondus adesse tuis.
Vatibus *hic mos est, ficto sub nomine sexum*
Laudare, & totum condecorare chorum,

Oscula-

Osculaque amplexusque *suos, fictosque* Hymeneos
Narrare, & mixtis basia *grata* iocis.
Hunc ergo austerâ dicemus fronte Catonem,
Qui nescit Vatis simplicitate *frui.*
Forsitan & magnum *afficient tua scripta* Thuanum,
Et poteris Gallos *inter habere locum.*
Sin minus, Æneæ *dextrâ cadis: Hæc quoque laus est;*
Doctorum doctâ succubuisse manu.

IOANNES LYDIVS.

Ad Ἐρωτικὰ, *Basia, Comam, &* *Syluam* D. ALBEETI EVPHRENI φιλομέσου, Ἔρος & φίλημα.

DEXTER Amor *Iuuenis* Peligni *induxit* Amores,
Retia Amatorum, *quique Amor* Aönidum.
Quid dicam? antiquo sæclo (eheu! ossa cubantis
Molle tegat saxum, surdaque arena) fuit.
Eius ritè oculos *bona suggillare* vetustas
Maluit, ad portum *corporis inque vicem*
Nudauit, licet hos gens barbara: *nonne* togata
Tristesque trabat gens miserè exequias?
Et cuius tumulus *spumantia cymbia lacte*
Nostri aui, ac lessus, lachrymulasque *meret.*

Desine

Desine iam lachrymarũ, *ac* planctuî *parce* Iuuentus
Sana, cui Aonidum *nascitur alter* Amor:
Qui in mundi scenam tabulas *induxit* Amorum,
Absimili haud tinctu seduli Amoris *opes.*
Namque Amor, & comites *quot* blandimenta *sequuntur*
Hunc, his purpureis fulget imaginibus.
Nimirum Oscula, *seu quæ infigunt* Basia Amantes,
Basia Amatorum *munera ritè cluunt.*
Succedunt post Oscla Comæ, *quas carpere nobis*
Si fas, spes *factu haud irrita* coniugij.
Quid reliquum? Syluæ, *quas vna his fasce subornat,*
In queis eliciant mutuum Amorem *oculis.*
Quid mirum? cui posse datum; dat nomina *facto*
Congrua; namque Amor *est totus* EÜPHRENIOS.

Atque hæc quàm libentissimè ante tuos hosce Amores, seu Erotica, eorumque asseclas, Basia, Comas ac Syluam, meum in te Amorem consecrabam, Anno cIↃ. IↃ. CI.
Mense Principe seu felice, Strenæ in modum,
HENRICVS SALOMONIS F.
Delmanhorstius.

HENRICI

Henrici Movthaen Vtricis
Epigramma,
In
Alberti Georgi Eufreni
Amsteli Poëtæ ingeniosissimi Poëmata,
Et iniquum eorum Ariſtarchum.

E S T *animi egregius nimium felixque laborum*,
  Muſa *inter ſacros quem facit eſſe ſacrum*.
Quemque iuuat patrio mentem defigere cœlo,
  Lymphatam dia Bellerophontis *aquâ*.
Haud aliter priſcos legimus feciſſe parentes,
  Dum colerent Bijugis ſacra theatra fori..
Eufreni *hos acie mentis tu ponè ſecutus,*
  Haud ſecus ora virum hoc remige nixus adis.
Grande moræ pretium Phœbi *luſtrare tribunal,*
  Difficilis rarum ſemita præbet iter.
Nam ſtat in abrupto Muſarum Curia, Phœbo
  Sacra, Caballino *facta ſine arte pede.*
Sed te ſublimem perduxit in ardua virtus,
  Et ſimili reliquos admonet ire viâ.
Felicem quoi Muſa *dedit ſpectare* Heliconem,
  Iam te cum reliquis fama *loquetur* anus.
Iam tuus optatâ vertex redimitus ariſtâ,
  Partaque ſunt capiti laurea ſerta *tuo.*
Ibit in immenſum tua gloria die poëta,
  Perque Iouem *lapidem hoc iuro meumque caput.*

Auſpicijs

Auspicijs incepta bonis ducantur in actum,
Et reclude tuis aëra carminibus.
Non est quod metuas Labeonis scripta leguntur,
Vilis & in promtu carmina Codrus habet.
Prodi cura recens, ætatis iura ferocis
Nil pendas, spondet Tisiphonæa fidem.
Te contrà insurgat Lemurum si copia, vires
Piërides, Charites & sua tela dabunt.
Prodi cura recens, & sit tibi cornea fibra,
Non oberit venæ penna seuera tuæ.
Est aliquid quandò ridet torosa iuuentus,
Sueta sacras Musas rodere more canum:
Pelliculam veterem retinet: sed Bestius vrget
Doctores graios, dumque tacet, moritur.
Vrge, & bis coctam Besti bibe cernuus vndam,
E silice extortus te quoque panis alat.
Dic mihi quis furor est crescentem lædere vatem
Zoile? participes ilia rupta Codri:
Dic Centro tecum quid cornicaris inepte?
Quidvé notat lepidos tristis arundo iocos?
Castus amor castè dat basia mille, decenter
Castus amor doctâ digerit arte comas.

In Ero-

ALBERTI EVFRENI.

IMPARIBVS *teneros numeris dum nectit* Amores
 Eufrenius, Clarij *maxima cura* Dei;
Nominis auſpicio *præſtat digniſſima, monſtrans*
 Ingenij *quantâ* dexteritate *cluat.*
Hôc mage præ reliquis dignus mihi laude Poëtis,
 Sint ſua quod caſtis *ſcripta referta* iocis.
Caſtus Amor, caſtique ſales, caſta *omnia*; caſtis
 Digna cani, caſto lumine *digna legi.*

THEODORVS BARENTIVS.

Lectori, ſed candido, S.

E*Rratis qui caret ne ignoſcat. tu homo es, parce homini. Accipe tria grauiora errata, per feſtinationem & incogitantiam, à me commiſſa.* P.29. l.11. *Carmina, quæ* piper; *lege; Carmina? Cum* piper *hæc.* P.31. l.21. Polyphemus, & Antœus; *lege*; Polyphemus *atrox.* P.72. l.5. *Hic pelluciduli. Reliqua, quæ typographica, nunc accipe, & emenda.* Pag.29. lin.7. *lege*, inſulſo. P.37. l.16. *lege, infigere.* P.41. l.6. *lege, confoſſus.* P.43. l.15. *lege, fænore.* P.53. l.16. *poſt viros, colon pone.* P.80. l.3. *lege*, Ruſsl. P.82. l.13. *lege*, Præceptori. P.83. l.2. *lege*, cultores. P.84. l.3. *lege*, GEORGIADEM. l.10. *lege, continuat.* P.88. l.16. *lege, trutinans.* l.26. *lege, illa.* P.94. l.17. *lege, parta.* P.96. l.5. *lege, illi.* P.98. l.21. *poſt, ſanguinolente, comma pone.* P.102. l.6. *poſt, Nomina, pone comma. Si quæ adhuc ex operis leuiora menda, candide Lector, candidè emenda. Meâ autem inſcitiâ, quam lubens agnouerim, ſi quæ commiſſa; qui legis, & vides, ne ride, ſed indica: gratiam habebo. Haue, ſi candidus; abi ſi ater.*

EROTICA ALBERTI EVFRENI, GEORGIADIS, AMSTELO-BATAVI,

Poëseos & Medicinæ studiosi.

Ad Lectorem.

QVI *legis antiquos nullâ pietate* Poëtas,
Hoc quoque, sed castum, perlege, Lector, *opus.*
Non nisi quod licitum est, in nostro carmine quisquis
Repperiet, cunctis quæque placere queant.
Arridet mihi casta Venus, *castique lepores,*
Quæque probũ haud pudeat promere verba virum.
Me lege qui spernis lascivi furta Priapi,
Et qui te casto vis sociare thoro.
Antiquis quamvis versu sim vatibus impar,
Sum tamen & parvum dignus habere locum.
Nec te pœniteat me pervoluisse; sed horam,
Quam poteras lusu, carmine perde meo.

Ad Zoilum.

Zoile *quid dentes acuis? quid spicula torques?*
Quid versum in mollem prælia sana paras?

Si tibi displiceant hæc casti carmina Amoris
Et licitas pergis carpere delicias;
Arma age in Authorem, *si qua tibi robora, torque.*
Hæc veniant nostrâ bella gerenda manu.
Degenerem dextram non sentiet inuidus; & mî
Spicula, quæ possint vulnera ferre viris.
Et nostro roseus sequitur de vulnere sanguis,
Irrita nec dextrâ tela retorta volant.
Ipse ego; iucundæ Veneris *qui prælia scribo,*
Mollia dum grato pectora Amore *calent;*
Si grauet ira animum Satyras *torquere seueras*
Incipiam. irato strennua corda mihi.

Theodoro Melissant, Patricio Roterodamo.

Prime sodalitij nostri, Theodore, *quid vrges,*
Vt iam iam prælo carmina nostra feram,
Carmina, quæ nostros numeris cecinere calores?
Dic, precor, à cunctis cur cupis ista legi?
Haud ego in hunc finem volui describere Amores,
Et verbis molles iungere blanditias.
At studui nostro solamina ferre dolori,
Ac mæstum curis exonerare animum.
Tum grauibus studijs Veneres *miscere decentes,*
Et memet castis exhilarare iocis.
Sed quia, cui renuisse nefas, is poscit Amicus,
En, do victuris carmina nostra typis.

Quod

Quod primus Amatoria scripserit Amstelijs.

Primus ego Charites Amstellæ *ad flumina duxi,*
Et cecini Amstelijs *delicias* Veneris.
Delicias cecini, Paphiæ *sed gaudia castæ;*
Quæ Natura *colit, quæ liceantque bonis:*
Sique aliquem merui titulum, si nomina Vatis,
Patria *pro tali grata labore dabit.*
Sint modo Phœbæi *vates, sint numina curæ,*
Pïerides*que Deæ,* Pïeridum*que Chorus.*
Si laudat, benè habet: si spernit, nil moror; & mî
Post mea grata aderit funera Posteritas.

Ad Iuuentutem Amantem.

Vos, quibus ætatis nunc ver florescit amœnum;
Quos commixta iocis gaudia casta iuuant;
Gaudia qui colitis, qui maxima regna Diones,
Et canitis pueri sceptra timenda Dei:
Hic mecum gelidâ recubate sub arboris umbrâ.
En, donat molles fertilis herba locos.
Lene fluunt puris salientia flumina lymphis,
Et tacitum gelidæ murmur oberrat aquæ.
Trans undam syluæ spectacula grata ministrant,
Ac pascunt saltu lumina nostra feræ.
Hic simul antiquos cantu repetamus Amores,

Dulce & formosæ seruitium Dominæ:
Tantorum gestit nam mens meminisse bonorum.
Ipse etiam admonitu crescere suetus, Amor.
Et cur non liceat, castos cecinisse calores,
Quos Natura *hominum mentibus insinuat?*
Certè ego (si fatear) non sum tam barbarus, vt non
Attonitum faciat me quoque forma decens.
Forma potens Dominæ, *consumit corda calore.*
Trux, quem non capiat forma potens Dominæ.
At vos, ô lecti Iuuenes, *date basia* Amatis;
Et blando noctes fallite colloquio.
Sermones miscete, iocos, mollesque cachinnos:
Dum vitæ ver; dum tempora amare sinunt.

De Venere & Ambrosiâ.

Cypria *cum puero* Batauum *mare læta secarat*;
Et iam calcabat mœnia claru pede,
Famosum queîs lene fluens dedit Amstela *nomen*,
Amstela, *&* Eöis *notus &* Hesperijs.
In mediam pergens vrbem, fora nota frequentat.
Turba ruunt visum deliciosa proci.
Tandem, Nympharum *comptâ comitante catervâ*,
Ambrosia *in plenum venerat vsque forum*.
Obstupuit Cypris. *roseus color ora reliquit.*
Et teneræ lachrymis immaduere genæ.
Victa dabat tremulo tales tandem ore loquelas.
Ambrosia *in terras vênit ab axe poli,*
Nate: quid hic posthac iam Numina *nostra valebunt?*

Quin

Quin petimus celeri nunc Amathunta *gradu?*
Ambrosia *æthereas sedes miserata reliquit,*
Datis nunc terrigenis, quæ solet ante Dijs.
Amsteliæ *superum dapibus pascuntur amœnis.*
Heu, tantum Batauis *quod licuisse datum est!*

De Ambrosiâ.

Ambrosia, Amstelias *vincens candore* Puellas,
Cælicolásque Deas, *nomina digna gerit.*
Digna gerit facie, & lætâ dignissima fronte,
Digna oculis, ciliis; purpureisque genis.

Ad Puellas: vt gratiosæ sint magis, quam comptæ.

Quid tantum comptis ornatis membra Puellæ
Vestibus, & vittâ versicolore caput?
Lactea circundant quid longa monilia colla?
Quid torquem auratum brachia nuda gerunt?
Hæc nil; nil pexos solito de more capillos;
Nil pulchros vultus excoluisse iuuat.
Ducere si vultis iuuenes, si corda mouere,
Et magè prudentum conciliare animos;
Exornate animos, atque interiora Puellæ;
Et faciles mores induitote hilares:
Nam magis exornat mediocres gratia morum,
Quam pulchras vultus candida forma sui.

Ad Leuciam.

Leucia, *quæ noſtras comburat flamma medullas,*
Scire cupis? Torret veſtra fauilla iecur.
Haud magis Enceladi *eſt conſumptum fulmine corpus,*
Perdita quam facibus viſcera noſtra tuis.
Crede mihi; non ſunt mortalia tela pharetræ,
Quæ veſtrum cingit ſanguinolenta latus.
Me miſerum! In cineres mutantur corpora canos,
Iam tandem experior, quod ſit amare malum.
Non ita contactu affligit crudele venenum;
Quam feriunt cupidos virginis ora procos.

In diſceſſu, ad Ambroſiam.

Lux oritur. Patrias, *mea* Lux, *rellinquimus oras;*
Aptatúſque viæ frena remordet equus,
Ambroſia: *& tibi mens lecto recubare quieto?*
Surge, precor. plumis ſurge, Puella, *tuis.*
Non faciunt ſonitum, commoto cardine, valuæ;
Deſcendis thalamo nec, mea Vita, *tuo.*
Iamnè grauis potuit ſomnus comprendere, cum tu
Diſceſſus noſſes tempora certa mei?
Hocce erat, heſterno valedicere tempore Amanti
Quod velles? dicens; nunc mihi, chare, vale.
Sed mœſtum, credo, metuiſti præſcia tempus,
Quo nos hora duos vnica diſtraheret.
Læta tamen valeas: repetam quia tempore paruo,
(Spero) cum Patriâ *tecta paterna meâ.*

Ad Som-

Ad Somnum, de Iuliâ.

Iulia *sola iacet, tenui circundata panno;*
Mollibus in plumis Iulia *sola iacet.*
Iulia *sola iacet, sine me; nec surda benignâ*
Suscipit aure preces. Iulia *sola iacet.*
Noxie Somne *fuge, ac* Dominæ *rellinquito ocellos.*
Vt vigilet subitò, noxie Somne *fuge.*
Noxie Somne *fuge. exclusi miseresce; laboris*
Præmia quo reddas. Noxie Somne *fuge.*
Vósque fores, misero prædura obstacula Amanti,
Cedite. Sit per vos semita aperta mihi.
Vos ego odoriferis ornaui sæpè corollis;
Serta dedi tristis vertice dempta meo:
Pro quibus haud gemmas, nec fulgida munera posco.
Tantum furtiuo nunc date calle frui.
Tunc & odorato vos cinget Amaracus *orbe,*
Narcissus, calthæ, lilia *cum* Violis.
Nec tu, si faueas, sine munere, Somne, *recedes.*
Imponamque tuis laurea serta comis.
O, mihi tam faustam liceat contingere noctem;
Quâ mihi sub stratis Iulia *iuncta cubet.*

Ad Ambrosiam.

Pulchra quidē, Ambrosia *es, & nostro carmine digna,*
Cœlicolásque inter nomen habere Deas.
Sed tibi nascenti tribuit quam Cypria *formam*

Cum dulci superant verba diserta sono.
Oblectat dulci procedens gutture cantus;
Ritè & suauisonam quod ferias cytharam.
Mascula forma tibi. Ingenium, *moresque decoros,*
Iudiciumque *sagax* Cecropis *ipsa dedit.*

De Ariadnâ.

Collari occurrens nobis Ariadna *soluto,*
Erubuit. roseus tingit & ora pudor.
Quid tantum, ô Ariadna, *rubes? vix summa papilla*
Se prabet nostris conspiciendam oculis.
Pectoris anné doles niuei pars maxima operta
Quod fuerit? Cassis sat patet atque dolus.
Offendunt oculos sat summa cacumina mammæ,
Quæ fuerat melius delituisse tamen:
Nam, quæ luminibus nullis conspecta, petuntur
Nulli; quodque oculis panditur, hoc petitur.

Ad Puellas Batauas, ne nimium se comant.

Desinite, ô, nudas Batauæ *ostentare papillas,*
Spectandósque humeros collaque nuda dare.
Suggestumque comæ, & cirratos spernite crines:
Nec comant nudum florida serta caput.
Hoc placeant Italæ *tantum sibi more* Puellæ,
Sit pudor at cultus velle sequi Italidûm.

Postpo-

Poſtponit omnes Amicas, ſuæ Iſabellæ.

Iam cuncta è noſtro diſcedant pectore Nymphæ.
Leucia *flamma leuis.* Iulia *flamma leuis.*
Ambroſia *accenſam mentem inflammauerat igne;*
At flamma illius non diuturna fuit:
Dura etenim noſtris precibus cum clauderet aurem;
Protinus ex animo decidit illa meo.
Nunc Iſabella *mihi placet, haud ſine numine* Diuum;
Quæ tota eſt imis abdita viſceribus.
Illa mihi fidos conſeruat fida calores,
Et non rumpenda fœdera Amicitiæ.
Illa meo digna eſt verſu quæ ſæpè canatur,
Viuat & in noſtris inclyta carminibus.

Ad Cynthiam, in deambulatione.

Cynthia *conde tuos vultus. ſat lumina clara*
Vidimus. O, fulgens, Delia, *conde caput.*
Celari ſua furta cupit Cytherea; *nec vnquam*
Extollit nitidas per ſua caſtra faces:
Inuiſo charos tu luſtras lumine Amantes;
Nec tacitos ſerâ nocte latere ſinis.
Inuidus hos videat: per compita plurima iactet,
Viſa ſibi. Nunquid, Delia, *culpa tua eſt,*
Quæ facis vt miſeri vulgo ſint fabula Amantes?

Ah, Paphio *generi ſit nocuiſſe ſatis.*
Ludere iam ceſſes Amathuntia *caſtra ſecutos;*
Nec poſthac pergas prodere luce tuâ.

Ad Iſabellam.

Quod formoſa tibi facies, quod candida membra;
Aut quod de genere es nobiliore ſata;
Vrbanis Charites *ſuperes quod moribus omnes,*
Facundo vincas Pallada *& eloquio:*
Non me delectat, nec tantis pectora curis
Excruciat miris nocte diéque modis.
Sed, quod me ſolum vero dignare fauore;
(Spernens præ me alios, chara Iſabella, *procos)*
Quod mihi das, roſeis infigere labra labellis;
Mecum quod blandos conſeris vsque iocos?
Hoc iuuat, hoc ſolum placet. Hæc mihi firma Voluptas
Semper erit: merui quod placuiſſe tibi.

Ad Iſabellam: quod verum eius nomen nulli prodere ſtatuat.

Noſcere te cupiunt omnes, Iſabella, *ſodales.*
Sed tantum haud poſſint iura ſodalitij:
Vt nequeam tantis præſtare ſilentia rebus;
Et tua, vel paucis, nomina vera loquar.

Tu mo-

Tu modò, ne nostros in apertum ducito Amores;
Et maneas Vati *fida*, Puella, *tuo.*
Secreti Veneris *sectemur signa; nec vnquam,*
Quæ melius lateant, sint patefacta alijs.
Inuidus *inuideat, si nòs cognouerit ambos.*
Blandicias *molles* Inuidus *inuideat.*
Inuidus *inuideat, tam firmi vincula* Amoris,
Nequitiæ spargens toxica sæua suæ.

Ad Isabellam: De eius famâ.

Te ter felicem dicent, Isabella, Nepotes,
Quod fueris nostro carmine digna cani.
At solùm haud tribuent clarùm mea carmina nomen;
(Si modò post cineres terra Bataua *leget.)*
Verum & notesces alienis versibus; atque,
Me praeunte, alij te quoque laude vehent.
Quid multa? Eufreni *dum scripta legentur in orbe;*
Tu viues Vati *iuncta*, Isabella, *tuo.*

Florentius Coëtius, Ad Isabellam.

Carminibus Galli *viuit celebrata* Lycoris,
Viuit Amor Latij Cynthia Callimachi.
Tu quoque, quæ ingenium vati *facis vna, venisque*
Musa *tuo, viues, bella* Isabella, *diu.*
Quare, age, in amplexus properans, gratissima iunge
Oscula, neuè pio sis in Amore *lenis.*

In Ambrosiam; quod ab eius Amore (quia nimis difficilis sit) Veneris hortatu, se abstrahat.

Quæ toties nostro celebrata est carmine nuper,
Nunc, spernens Vatem, spernitur Ambrosia.
At, ficto quod dicta mihi sit nomine, lætor,
Digna parum nostris viuere carminibus.
Quæ fuerit; qualis; iam nullus nouerit. Hæc sunt
Pro tantâ Ambrosiæ præmia duritie.
Certè ego non sanus, falsas cum scribere laudes
Inciperem. Merui tunc bibere Helleborum.
Tergeminamq; Hecaten iuro, Stygiamque paludem;
Fulmina per summi, tela timenda, Iouis.
Ficta tuæ formæ sunt carmina; verbula vana,
Quæ laudes nimium concinuere tuas.
Improba, iamné tibi tanta est Victoria parta?
Iamné tibi magnus, sæua, Triumphus erit;
Cum tua durities totâ iactabitur vrbe,
Et poteris plures spernere amara procos?
Hoc pede sic pergas. Iuuenes sic ludito. Tandem
Obuenient factis præmia digna tuis:
Atque vltrix Nemesis, quæ corda humana flagellat,
A tergo flagris sæua sequetur anum.
At leue mî fuerit, tales rellinquere Amores,
Idalia exhibeat cum meliora Dea.
Illa mihi nuper. Quid erit? Rellinque superbam,

Quæ

Quæ nostro haud fuerit connumeranda gregi.
O, multum dilecte mihi, mea cura, Poëta,
(Qui Dominæ Veneris *carmine regna canis)*
Sume animos, firmans promissis pectora nostris;
Nam veniet thalamo pulchra Puella *tuo.*
Iuro meum cestum, puerique Cupidinis *arma,*
(Quæ nunquam illius irrita missa manu)
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo,
Quæ forma cunctas vincat honore Deas.
Nec pulcra renuam Nymphæ *superaddere* Famam;
Quæ tibi post cineres (crede) perennis erit.
Namque inter Vates *te ponet turba* Nepotum;
Nec vilem tribuet terra Bataua *locum.*
Tu modo ne renuas mea iussa capescere; & istâ
Quâ benè cepisti pergere, perge viâ.
Motus ego his dictis, solito iam fortior ibam;
Tempora conseruans in meliora animum.

Ad Theodorum Melissantium, Patricium Roterodamum: vt edat suos Amores.

Quid nimium cessas? Cur non, Theodore, *legetur*
Iam tua cum libris chara Sleocca *tuis.*
Pulchra Isabella *meo iam carmine nomen adepta;*
Et iuncta est Vati *chara* Puella *suo.*
Cur, Theodore, *etiam tecum non blanda* Sleocca
Viuit; & in vestro carmine crebra venit?

Grande

Grande nefas, te pro meritis non reddere Amatæ
Digna satis tantis præmia delicijs.
Hoc meruit sperare, tuis cum blanda labellis
Oscula crebra satis, deliciásque daret?
Ingratum Vatem! *qui munera tanta tacebit.*
Nec pro blandicijs Nomina *clara feret.*
Quin tua prome lubens. Sit cunctis nota Sleocca:
Quam quoque cùm reliquis Fama *loquatur anus.*

Ad Puellas.

Fœminei sexus gratissima turba Puellæ,
Et nobis primo semper habenda loco;
Quas Natura *ideò mortalibus alma creauit,*
Vt nimijs curis pectora nostra leuent:
Dicite; cur tantos animis succenditis ignes?
Cur iuuat & lentis vrere corda rogis?
Ancipiti quoniam gladio pugnabitis; ibo
Siue hac, siue illac; retia semper erunt.
Roscida nam risu tenero si labra mouetis:
Tam blandis trahitis pectora nostra dolis.
At dura auxilium miseris si fortè negetis:
Plurima constantes tœdia ferre iuuat.
Luctemur quacunque viâ: nos vincla ligabunt.
Vrimur. extremos cor figit in cineres.
Parcite sed fassis quam magna potentia vobis;
Incipite & tenui lambere corda face;
Et regite Imperio, *nec tanta* Tyrannide *sceptra:*
Tempore nam paruo regna seuera manent.

Hinc

Hinc vobis Iuuenum *mentes coniungite* Amore.
Sic vestro generi gloria *semper erit.*
Sic versu innumeri tollent ad sydera Vates.
Sic vobis Famam *carmina nostra dabunt.*

Ad Isabellam.

Mens hæret, cupiatnè hominem te dicere; vel te
Esse poli credat, pulchra Isabella, Deam.
Fragrant mēbra tibi Nardo. *Tua pectora* Amomum
Emittunt. Toto spirat in ore crocus.
Ambrosiæque comæ *diuinum vertice odorem*
Fundunt. Ore tibi mellea verba fluunt.
Gutture lactescens tenues vox exit in auras;
Et latet in dulci Gratia *blanda sono.*

Durum est, non amare; durum, amare; durissimum vero, amare, & non potiri.

Est durum, nullis faculis ardescere Amoris:
Et durum est, Veneris *corda calere face:*
Verum, præ reliquis, longè durissima res est;
Nec magè quid Iuueni *tristius esse potest:*
Quam, pulchram semper constanter amare Puellam;
Nec tamen optati gaudia ferre thori.

Ad Isa-

Ab Isabellam, peregere proficiscentem.

Heu, procul à charo amplexu discedit; & vndas
Findere veliuolâ Lux *mea classe parat.*
Nunc Echenee *veni, & celerem compesce carinam;*
Et repetat Patriæ *mœnia nota sue.*
Quid precor? Heus, cymbā potius compellite Nymphę:
Intret amicorum quo mea Vita *lares.*
Nauiget: & (nostri modò sit memor) Æole *ventos*
Adijce; quo penetret flumina puppe celer.
Nauiget; & vento properans det vela secundo:
Et faueas radijs, Cynthie *clare, tuis.*
At longa haud binos disiungent tempora Amantes.
Seu pede, seu curru te, mea Vita, *sequar.*

Inuisurus Amicam absentem.

Aspice; iam mandent spumantia frena caballi;
Expectantque leues portarum ad limina currus,
Sessorem optantes. Iam iam conscendimus. ense
Cingimur; & Paphiæ *stirpem te,* Nympha, *sequemur.*
Auriga celerare fugam. mora tarda recedat.
Vósque regendorum, queîs cura incumbit equorum,
Ferte citi currus; date lora; impellite habenas.
Æripedum feriat tremulos celer vngula campos.
Sic te, Isabella, *iterum cernam, vultúsque nitentes*
Aspiciam,

Aſpiciam, iungámque tuis mea labra labellis.
Sic ſolitos iungam luſus, molléſque cachinnos.
Nam ſine te nigris lux triſtior ipſa tenebris,
Lux *mea. Tu, faculas oculis dans, lumina noſtra*
Lumine colluſtras Dio, *& das cernere lucem.*
Tu, licet haud vllo comptum eſſet ſydere cœlum,
Monſtrares rectum nobis per deuia callem.
Aſt ego non longo doleam te tempore abeſſe:
Ne nimis affligant me tœdia crebra viarum;
Quæ ſubeunda mihi, donec via nota reducat
Te nobis, ſubeáſque ædes, Iſabella *paternas.*
Et repetes ſubitò, ſi te benè nouimus, vrbem,
Percelebris duplici quam Rhenus *flumine inundat,*
EufrenI *ſi cura tui te,* Nympha, *tenebit;*
Obſequium noſtri cupies nec ſpernere Amoris.

Ad Iſabellam abſentem; quod quietem capere non poſsit.

Luce *meâ priuor; nec me* ſopor *occupat ater;*
Si veniat mea Lux; *ſit mihi certa quies.*
Mira hæc fortè putes, qui talia perlegis, & me
Scribere mendaci carmina vana ſono.
Lux Iſabella *mea eſt, miſerum quæ liquit* Amantem;
Nec patitur ſomnos *carpere nocte leues.*
Aut vigilo, aut horrenda affligunt ſomnia *mentem.*
Sic ſemper requies chara negata mihi eſt.
At noua me ſemper terrent inſomnia, *cum quis*

Inuasit tandem corpora sicca sopor.
Ergo, Isabella *redi;* EufrenI *si cura remordet:*
Vt veniens, mea Lux, *sis mihi certa quies.*

Somnium: de Isabellâ.

Discedens Phœbus *tenebras induxerat orbi;*
Et solitum bigis Luna *terebat iter.*
Corpora per terras iam consopita iacebant
Cuncta hominum, pecudum; fessa sopore graui.
Irriguus tacitos sopor altè inuaserat artus.
Obuênere tamen somnia *vana mihi:*
Somnia, *quæ mœstæ donarent gaudia menti,*
Et possent cordis pellere tristitiam.
Ipsa videbatur nobis Isabella *venire,*
Iam facilis; nostrum currere & in thalamum.
Iam niueos artus in nostro ponere lecto
Visa mihi, & molli membra locare thoro.
Lactea iam nostro ponebat brachia collo:
Et nunc cingebam colla decora meæ.
Basia pangebam: pangebat basia Amanti.
Blanda dabam Nymphæ *verbula; & illa mihi.*
Et iam miscebam dulces cum voce cachinnos:
Arridet Vati *chara* Puella *suo.*
Sic pariter læti noctem traduximus illam,
Pascentes fictis pectora delicijs.
Ast, Aurora *polo densas cum pelleret vmbras;*
Nulla fuit lateri proxima Nympha *meo.*
Tu verò, igniferis qui comples pectora telis,

Matris

Matris Acidaliæ *cura perennis* Amor;
Liberiora mihi da gaudia, gaudia vera.
Da veniat thalamo bella Iſabella *meo.*
Sic tibi thura *feram: faciam ſic* ſacra *quotannis;*
Atque tuas laudes noſtra Camœna *canet.*

Ad Iſabellam abſentem: quod periculoſum ſit ruri degere, obſidentibus vias latronibus.

Ah! pereant, qui te retinent malè, Vita, *penates.*
Ah! pereat, quæ te terra maligna tenet.
Quid tibi cum ſyluis: Quid ruſtica rura iuuabunt?
Quæ colis (an neſcis?) non loca tuta ſatis:
Inuia luſtra cohors nemorum nam dira latronum
Occupat, & cæcas conſtruit inſidias.
Quid? Nuper Leida *currus qui venit ab urbe*
Expertus ſæuas non fuit ille manus?
Armati occurſant nebulones. Rector *habenas*
Concutit: effugij at ſemita nulla patet.
Quid faciat? Curru tantum ſedet vnus. At ille,
In certam cernens ſpicula ſtricta necem,
(Sæpe ſolent extrema animos ſic reddere victis.)
Audax pro vitâ prælia dura ſubit.
Nec mora. Vaginâ nitidam rapit, ecce, macheram,
Et coniuratas impetit enſe manus.
Mox alius ſubijt currus. Fugêre latrones,
Dum reliquos cernunt currere in auxilium.

Nunc audis, quantis ſint rura obiecta periclis:
Nec metuis ſtrictas in tua fata manus?
Quid, mea Vita, *colis tam longo tempore rura?*
Cur noſtra ad reditum nil valuere preces?
Chara Iſabella *redi, Mea* Spes, *mea* gaudia *ſola.*
Iam cruciat longus languida membra dolor:
Iam vacuas, redeas niſi, ſpiritus *ibit in auras;*
Clamabitque; Necis cauſſa Iſabella *fuit.*

Ad Iſabellam abſentem: ſe, propter longam eius abſentiam, doloribus conſumi.

Pulchra Iſabella *redi, patrióſque reuiſe penates,*
Et cordi, atque oculis chara puella *meis.*
Quid longâ torquère morâ non deſinis, & me
Deſeris, ô animi ſola medela *mei?*
Mœſta vaporiferis lachrymis *nunc ora rigantur;*
Atque graues imo corde traho gemitus:
Et, quia nil præter ſuſpiria *crebra relictum,*
Triſtia iam veniunt cuncta ferenda mihi.
Præſentes miſero, mea Lux, *da cernere vultus,*
Da, gratum rutilis quærere Amorem *oculis.*
Tunc lachrymæ, gemitus, ſuſpiria *crebra recedent;*
Et rurſum Alberto *proſpera cuncta fluent.*
Nunc inuiſa dies agitur ſine luce: *nitentes*
Namque abſunt tecum, bella Iſabella, faces.
Noctua *ceu cœcata volat vel* luce *ſub ipsâ:*

Sic

Sic video, quamuis Sole *oriente, nihil.*
Quid faciam, mea Lux? *Sine te* mens *fluctuat, & me*
Curarum *in magno deserit* Oceano.
Affer opem *cœco; miseroque leuamina præstes;*
Cumque tuis faculis, *quam potes, affer* opem.
Nam vincunt fulgore tui rutilantia ocelli
Sydera. *Non aliâ* lampade *tutus ero.*
Hos mihi dum liceat vel serâ nocte *tueri;*
Haud optem lumen, Cynthia *clara, tuum.*
Hos tu fac videam; dum mœnia *nostra reuisis,*
Et vestros intro, te præeunte, lares.
Pectore sic nostro curæ, *sic cuncta recedent*
Tristia: Sic metuam, te veniente, nihil.

Lætatur, ab reditum Amicæ.

Funde Falerna *puer: redierunt tempora læta.*
Nunc antiqua cadis funde Falerna *puer.*
Quæ toties crebro repetita est carmine nobis,
Nunc repetit propriam pulchra Isabella *domum.*
Nubila *iam mœstâ decedunt tristia* mente;
Atque iterum cordi gaudia *læta fluunt.*
Membra *vigent;* artusque *valent: Siccantur* ocelli.
In promptu caussa *est: Nam mea* Vita *redit.*
Vita *redit, nostros tandem miserata* dolores;
Vt gratum afflicto conferat auxilium.
O! quas blandicias *iungam! Quæ* basia *pangam!*
Quæ iam sufficient gaudia, *quiue* ioci?
Lactea iamne iterum connectere colla lacertis;

Iam dabitur roseas tangere posse genas?
Cura *grauis, procul hinc nigras* Acherontis *ad vndas.*
Gaudia *sola placent. Nostra* Puella *venit.*
Nostra puella *venit. Fumabunt* thure *camini:*
Effusisque fluet lactea Vena *scyphis:*
Instituamque dies festos, *&* sacra *quotannis*
Annua; *prò* Nymphæ sacra salute *mea.*
Illa mihi niueo Lux *est signandá* lapillo;
Quâ redit in nostros bella Isabella sinus.
Ergo, diem festo *decoremus* carmine *lætam:*
Mœstáque linquamus cuncta ferenda Nothis.

Amor inconstans.

Pingitur insistens Fortuna *volubilis* orbi,
Quæ nunquam certum nouit habere locum.
Cur Veneris puerum *celeri non pingitis* orbe,
Qui per cuncta vagus *voluitur,* Artifices?
Ille vagus *fertur* Iuuenum *per corda calentûm;*
Nunc his, nunc illis pectora *transadigit:*
Itque, reditque frequens; formâque *decente* Puellas
Nunc vrit; duras nunc facit effugiens.

De formâ Isabellæ. Augustini Stalpert, vander-Wiele.

Si quis in hoc cunctas mihi proferat orbe puellas,
Quas veniens Phœbus, *quas abiénsque videt,*
Iudi-

Iudiciumque Iouis *mandato ferre iuberer,*
Quæ formâ *cunctas vincere digna foret:*
Pace tua, (quam dura mihi renuisque negasque)
Pace tuâ dictum, Cypri *superba velim:*
Non modo eas Isabella, *(quis hoc dubitetué negetué)*
Non modo eas (inquam) vincere digna foret.
At quoque tu, (quamuis Paridi *pulcherrima visa*
Hoc pretium formæ *iudice sola tenes)*
Tu quoque (nil certè Paridi *placuisse iuuaret)*
Vinci; non contra, vincere digna fores.
Nam neque tam miranda tibi, neque rara venustas,
Mille procis, votis *mille petita, fuit;*
Non Frons, *non* oculi, *non* os, *non* labra, genæque,
Pectora *non albâ candidiora niue.*
Singula quid refero? nullâ, si vera fatendum est,
Parte fuere adeò membra decora tibi.
Quid memorē argutias, *quid blandiloquósque* lepores;
Quámque sit ad varios ingeniosa sales?
O Venus, *inuidiâ sese licet* ilia *rumpant,*
Victa iaces. quid agas? Vincere victa nequis.
At tu perpetuo, rerum pulcherrima, gaude,
Cyprida *iam formæ succubuisse tuæ;*
Atque Adamanteis *firmè deuincta catenis*
Perfruere Eufrenio, *bella* Isabella, *tuo.*

Ad Isabellam.

Cypri Diua *pares aptè nos iunxit* Amantes:
Et parili fecit corda calere Face.

Vna ſimul nobis ætas *eſt*; *vna* voluntas:
Tu me fida cupis; *te quoqúe fidus* Amo.
Vna dedit nobis exortum terra Batauia.
Vna ambos iunxit Relligione fides.

In Reprehenſorem Eroticorum meorum.

Dente Theönino *mea quid corradere tentas*
Carmina, ſub calamum *quæ mihi nata meum?*
Iuſta tibi querulo veniſſet cauſſa, Priapi
Si canerem, & Satyri *turpia facta leuis*.
At non obſcænam Venerem *mea ſcripta loquuntur*.
Exulat hinc. Furta *hic non latebroſa leges*.
Inuenies noſtro nulla incentiua *libello*.
Non facit ad mores turba petulca *meos*.

Ad Alberti Eufrenij Iſabellam: Iac. Pet. Schuërius Bacchi-ſyluanus.

Quanta tibi, EufrenI, *dederit monumenta* Poëſis,
Nomine Hyperboreas *exſuperante plagas*;
Carmine quamque tuos longè iam extenderit annos,
Et memorem Famam, *bella* Iſabella, *vides*.
Dum legitur, pariter tecum tua Fama *legetur*;
Nec tantum Batauo *eſt quod remorere ſolo:*
Tranſit enim mundi ſpatioſi climata viuax

Gloria,

Gloria, *& excelsos est petitura* polos.
Non tantum Battis Coö *est dilecta* Poëtæ;
Nec tantum Clario Lydia *chara seni;*
Aut quæ Mæonium *vatem sortita,* Ithacensi:
Flebilis extincto Laödamia *viro:*
Nec quoque lasciuo tantum est cantata Catullo
Lesbia, *ab arcano nomine nomen habens:*
Quàm vestros, Isabella, *refert epigrammate honores,*
Cæsariem *nitidam, Virgineósque* sinus,
Atque tumescentes ætatis Flore papillas,
Nataque Sithonias *vincere* colla *niues;*
Quásque tibi Natura *parens,* Isabellula, *dotes*
Contulit; *Admirans hoc opus ipse canit.*
Ergo illi in longum producant stamina Parcæ,
Et superet Pylios Nestoreosque *dies;*
Vt possit maiore tubâ conscribere laudes,
Æquiparanda Deis *bella* Isabella, *tuas.*

Isabellæ Pulchritudo delineata.

In noua migrarent animæ si corpora; iurem,
Esse tibi Veneris, *bella* Isabella, *animam.*
Sic formosa tibi facies. *Sic* lumina *ritè*
Condita sub nigris nigra supercilijs.
Sic Frons lata oculos *decorat,* faciemque rotundam,
Candori & tumidas purpura *mixta* genas.
Sic rutili Ambrosio *dependent vertice* crines;
Castaneis *similis queîs color esse queat.*
Exsuperant rubrum sic turgida labra corallum;

Sicque genas *gemini* valliculi *decorant.*
Sic & ebur *vincunt* dentes. *Sic* ſpiritus ori
Dulcis ineſt, vincens Nectar *&* Ambroſiam.
Lactea *ſic cunctas vincunt candore* Puellas,
Leniter inſperſâ colla *decora* comâ.
Brachia *ſic* cygnos *ſuperant candore,* niuemque.
Sic teretes digiti. *Sic tibi* lata manus.
Sed tumidæ, pomis *ſimiles, ſine* lacte Papillæ;
Queis ſola es Diuæ *diſſimilis* Paphiæ.
Jlla thoros *nullâ laſciuit* lege *per omnes:*
Tu cunctis caſtâ Virginitate *places.*
At, cupiam formæ *ſi munera dicere cuncta;*
Deficiatque animus, deficiatque dies.
Sint ſatis illa tuæ formæ præconia, *quamuis*
Parua nimis, vultu nec benè digna tuo.

In Circen meretricem.

Quid fruſtra multis Circe *vis caſta videri,*
Sit tibi cum inuiſum Virginitatis *onus?*
Noſti etenim Venerem *atque* amplexus *vĕdere noſti.*
Spurcitiem *ſignant plurima ſigna tuam.*
Laſciuo tibi ſunt contorti more capilli;
Et facies fucis *non benè compta ſuis;*
Mollis & in rutilo petulantia *lumine ludit,*
Nec remanent vno lumina *fixa loco.*
Arrides blando vultu venientibus. vltro
Obſcenos *ſpargis* luxurioſa ſales.
Te iuuat inceſſus *doctâ confictus ab arte,*
Et docti greſſum *dinumerare pedes.*

Floren

Florentio Coëtio, Acroſtichon.

Flos Iuuenum, *decus* Harlemi, *ſpes magna tuorum*,
Laus Phœbi, *ornature tuo cum carmine* Muſas,
Optime amicorum, quos dat mihi terra Batauа;
Rumpe moras omnes, tua carmina mittito, & ædes
EufrenI *haud metuas* Florenti *inuiſere. Quid te*
Nunc retinet? Num blanda ſuis tua Leucia *in vlnis*
Te fovet, & roſeo tua baſia *ſuſcipit ore?*
I, fruere amplexu, *rape* baſia, *cinge lacertis:*
Ver tibi nunc floret; Veneris *cape munera caſtæ.*
Sed tamen & noſtri interdum memor eſſe memento.

Æger poſcit opem, ab Iſabellâ.

Arida continuis flacceſcunt Febribus *ora,*
Nullus & exſucco corpore ſanguis ineſt.
Quid faciam? aſſiduo franguntur membra dolore:
Amplius haud poſſunt auxilio eſſe pedes.
Non lyra *me, cantuſuè iuuat; non verba canora.*
Delectant animum gaudia nulla meum.
Non me blandiciæ *mulcent, dulceſuè* cachinni:
Non recreat lepidis fabula *mixta* iocis.
Quid mihi nunc prodeſt medicas *deſcendere in artes*;
Herbarum *& vires quid didiciſſe iuuat?*
Alma negat noſtro auxilium Medicina *dolori.*
Proſunt Dictamnus *vel* Panacæa *nihil.*
At tu languores, *mea* Lux, *mea* Vita, *valebis*

Alloquio

Alloquio longos tollere sola tuo.
Afflictis praestes tu sola Machaona *membris:*
Nam superas Coi pharmaca *cuncta senis.*
Chara Isabella, *tuus* vates, *tua cura, iacebit?*
Ibit ad infernos pallida & umbra lacus?
Nec sistes praesens venientis spicula mortis,
Atque tuo fies caussa, Isabella, *necis?*
Ista vetent superi. *Tu nostros tolle dolores:*
Nam mea nunc vestrâ pendet ab arte salus.

De Isabellâ, Alberti Eufreni: Henricus Mouthaen, Vtrix.

Eufreni *exulta. talis tibi lecta* puella
Bella Isabella, *vni vel summo digna* Deorum:
Cui fulgor formæque *decus tale esse videtur,*
Quale Deæ Veneri, *cuius praestantia* formæ
Nacta fuit pomum *demissum coelitus* aureum:
Elegêre ipsæ scintillæ *ardentis* Amoris
In vultu *sedes, & claris eius* ocellis:
Candiduli dentes *instar sunt ossis eburnei:*
Natiuo quodam minij *permixta colore*
Labra *rubent: spatio* nasus *libratur honesto:*
Auroræ *similis* coma *viuit mollis* Eoæ:
Grata genas *tingit formosas* purpura: *splendet*
Fulgida Frons, *veluti coelesti in vertice fulget*
Hesperus: *& roseo dulcis promanat ab* ore
Ambrosia: *est* collum *tenerum,* succoque *repletum:*

Pactea

Lactea ceruicis *species: compacta venustè*
Deniq́ue totius sunt corporis omnia membra,
Atq́ue adeò docto Iuuene *hac dignissima. Verum,*
Digna magis multò suauis sunt gratia linguæ,
Ornatúsque probus morum, *queîs bella* Isabella
Virginibus *multum reliquis prælucet abundè.*

De Amante insulto, ad Florentium Coëtium.

Quid Iuuenem *Iuuenis,* vates *torquere* sodalem
Pro versu vili non desinis, & mea poscis
Carmina, *quæ* piper *melius comprendere digna,*
Et scombros *vestire. Quid hoc? num putida* vates
Expetit, vt soluat magno sua labra cachinno?
Materiam risus *quod præbeat accipe, si te*
Ludicra *delectant. noua res noua carmina poscit.*
At non ficta iuuat tibi, sed quæ facta, referre.
Fortè quidã Iuuenis, Dominæ *cum limina adiret*
Serâ nocte suæ tacitus; residere Puellam
Antè fores cernens; hac voce affatur Amatam.
Chara mihi antè alias, ac dilectissima virgo,
Ferre pedem mecum digneris nocte serenâ.
Talia sed postquam stupido de pectore verba
Protulit; expectat virgo, *quæ dicta sequantur,*
Aut quæ Blandiciæ, iocus *aut quis, quiuè* cachinni,
Quæuè leuem oblectura animum sint ludicra *facta;*
Qualia multa solent cauti confingere Amantes,
Et nar-

Et narrare, sua quæ sint placitura puellæ.
Ille nihil: Tantum sed strata per ampla viarum
Incedit mutus, Nvmphâ *comitante decorâ*,
Faucibus *& patulis* oculos *per singula voluit.*
Tandem, iter emensi longum; vestigia ponti
Dum sua defigunt; erecto ad sydera *vultu*
Obuersus Lunæ *(dictu mirabile) fari*
Incipit, his demum dictis sua labra resoluens.
Aspice Nympha, *meis* oculis *gratissima*; *cerne*,
Cynthia *quam nitido se ostendat in æthere vultu.*
Hæc simul ac dixit Dominæ; *non plura locutus*
Ad patrias ædes stolidus *deducit* Amatam:
Sicque, vale *dicto, properans sua tecta reuisit.*
Tum, veluti gestâ benè re, sibi plaudit. At illa
Pro meritis Iuueni *condignos reddit* honores,
Ac cunctis, quæ facta, refert, mirandaque *promit.*
Rusticus *hic toti sic factus* fabula vulgo,
Indignus pulchræ Veneris *qui castra sequatur.*
Hæc narrare tibi placuit, quo tristia mente
Exturbes; curásque *tibi noua* fabula *pellat*.

Echo & Amator.

AM. Diua, *leuis, hominum ludens sermonibus* Echo,
Quæ vocem fictis vocibus ingeminas,
Quæ mage, dic, castos exornat gratia Amores?
EC. Mores. AM. *Dic, quæso, quid sit* Amare. EC. Mare.
AM. *Sed benè coniungunt quæ corda calentia* δῶρα?
EC. Ora. AM. *Igitur iungam basia crebra meæ.*

Hoc

Hoc ne etiam quæ inflicta mihi sunt vulnera iunget?
EC. Vnget. AM. *Rem gratam, si modò vera, refers.*
Basia si spernam, Veneris *num natus abibit?*
EC. Ibit. AM. *Sed potero quo retinere modo?*
Anne cupit flammis patienter corda calere?
EC. E re. AM. *Sic victis imperat acer* Amor?
Virgo *decens poterit comburere corda* fauillâ?
EC. Illa. AM. *O! quod* Numen *forma potẽs* Dominę!

Lusus in Cupidinem.

Unde venis Veneris *dulcissima cura* Cupido,
Cum comples molli molissima pectora Amore?
Haud equidem longâ, credo, regione viarum
A calidâ dictas fallax persæpè Iuuentâ.
Sed quinam nostro tam magna potentia *possit*
Carmine describi, paruo quæ tempore vbique est?
Monstrosæ rerum facies, mirandaque facta
Cedite, non miranda viris nunc amplius; vnum
Præ cunctis verè hoc mirandum. Paruulus orbem
Immensum puer *ille* Amsancto Numine *complet.*
Nunc vbi terrigenæ, vastissima membra Gigantes;
Enceladus, Polyphemus, *&* Antæus, *sæuúsque* Typheus, (Athlas?
Et Briareus, Iapetus, Titijúsque, Adamastor, *&*
Paruulus *immensos, tam vastâ mole,* Gigantes
Exiguo superat iam corpore. Cedite magni.
Vnus tot magnis maior puer *artibus: vnus,*
Vertice transcendens nubes, *fera* Tartara *calcat.*

Ad Aman-

Ad Amantes: quomodo colloquia instituenda cum Puellis.

Huc celerate gradum, queîs complent pectora flammæ,
Qui vultis Veneris *dulcia bella sequi.*
Ille ego (Cyprigenæ *nuper qui factus in armis*
Dux *nouus, &* Paphiæ *dulcia castra sequor,)*
Qui deceat pulchras sero sub vespere Diuas
Affari, & quales ducere ab ore sonos
(Si vacuas vobis mens aures ferre) docebo;
Et retegam Pueri *blandula iussa* Dei.
Cum cultis si sermones conferre Puellis
Vos iuuat, & blanda ducere voce Deas:
Dicite, quæ placeant, cupiantque audire libenter:
Credite, sic dictis gratia *maior erit.*
Non quod præcipiam charis falsissima Nymphis,
Fictaque Virgineis *verbula ferre choris;*
Sed quæ delectent animos, quæ pectora ducant,
Et vobis gratas conciliare queant.
Quid si bella crepes & sesquipedalia verba,
Et non paucorum prælia sæua Ducum,
Profuerit? Nihil ista iuuant cantata Puellis;
Deterrent mites bella cruenta Deas.
Tam molles aures horrendi vulnera Martis,
Atque solum effuso sanguine pingue, timent.
Arridere cupis, fieri vis gratus Amatæ?
Vis facilem Nymphæ *demeruisse animum?*

Læta

Læta refer, tristésque hilarantia verbula mentes,
Commemora & Dominæ *dulcia dicta tuæ.*
Iucunda in promptu & noua sit tibi fabula, *cuius*
Auxilio in risum *flectere labra queas.*
Materiam antiqui poterunt præbere Poëtæ:
Multa tibi Historiæ pagina prisca dabit:
Digna etiam fuerint & nostri temporis acta,
Quósque nouos referunt sæcula nostra iocos,
Quæ narrata leuent animos, quæ tempora fallant;
Queis subitò noctis tempora prætereant.
Tum quoque blandicias *misce, dulcésque* cachinnos;
Et pergas dulces promere delicias.
Sic poteris mentem tibi conciliare Puellæ:
Sic statues Veneri *læta* trophæa *tuæ.*

Clarisſimo viro D. Ioanni Semmio, Amſtelodamæo, Artium & Philoſophiæ Magiſtro Peritiſsimo, Amico ſuo Amiciſsimo.

Omnia iam bellis nimium crudelibus ardent,
Et sæpè effuso sanguine rura madent:
Sanguineo incedens frendens Bellona *flagello*
In scelus ipsa homines concitat, inque nefas:
Mars *pater indomitas concepit pectore flammas,*
Atque hebetem gladium non sinit esse suum.
Mite autem nobis pectus dedit Aphrogenia;
Quæ sua vult tenui carmine regna coli.

Huius

Huius castra tenent, Semmi *charissime: in illis*
Me iuuat interdum dulcia bella sequi.
Hisce tuus armos Eufrenius *induit armis,*
Cum mentem curis tristia quaéque grauant.
Dulce mihi, Dominæ rutilantes *cernere* ocellos:
Dulce mihi, pulchram cernere Cæsariem:
Dulce mihi, ceruice *mea pendere* Puellæ,
Brachia *&* *in* collo *ponere* lacteolo:
Dulce mihi, formam *mirarier illius, atque*
Figere turgidulis basia *crebra* genis:
Dulce mihi, Dominæ sermonem *audisse* disertæ:
Dulce mihi, molles conseruisse iocos.
Sola Isabella *mihi mea* Lux, *mea* Vita, Voluptas:
Tristia corde potest pellere sola meo.
Quid Coüs Hippocrates *nunc proderit, atq;* Galenus;
Quidué Dioscoridis pharmaca *cuncta mei.*
Bella Isabella *suis captum me traxit* ocellis.
Heu! quo nos Pueri *iura potentis agunt!*
Ille ego, qui soleo cunctas contemnere flammas,
Tam miserè in casses perdita præda ruo.

De duplici Amore; ferè ex Sententiâ Luciani. Ad Euerardum Stauerdenum Amersfurtium, Iuris Studiosum studiosissimum.

Stauerdene *cupis* veros *cognoscere* Amores.
Expediam paucis versibus ista tibi.

Non

Non tenet vnus Amor *mentes, non vna* Cupido:
Sed duplex *hominum pectora versat* Amor.
Hic, satus Oceano, *mortalia corda* feroci
Et vario fallax *comprimit* ingenio.
Hic fluctu Veneris *animum in* contraria *raptat*;
Non secus ac tumidis *æstuat vnda* vadis.
Ille, velut cœlo *demissa* cathena *sereno*,
Et licito *&* casto *iungit* Amore *duos*.
Non illi igniuomis *armata est dextera* flammis
Nec dira *illius* tela *pharetra gerit*.
Non Iuuenum *ille animos* lethali vulnere *rumpit*;
Non impudicis ignibus *vrit eos*.
Mentibus ille bonos *immittit ritè* furores,
Et non ignotos, dissimilesué Dijs.

Lusus Poëticus: De Phœbo & Isabellâ.

Nondum Aurora *polo densas dimouerat vmbras*,
Vix rapidos stabulis Phœbus *agebat equos*;
Cum subitò antè oculos mihi notâ maior Imago
Constitit, in manibus cui lyra dulce sonans.
Atq; arcum, atq; humeris pharetram *gestabat* ebur-
Cingebant nitidam laurea serta *caput*. (neam:
Turba nouena *virum sequitur longo ordine. vultus*
Fœmineus. casto splendet in ore decor.
Has sequitur, volucris humeros, pennataque corpus
Fama, *vehit doctos quæ super astra viros*.

 Langui-

Languida membra thoro tollo, cubitoque reclinans
Acrius intueor membra decora viri:
Et comitem spe̕cto volucrem; vultúsque nitentes,
Atque Puellarum *corpora clara nouem.*
Tandem, me aspiciens, his dictis ora resoluit
Cynthius, *hósque dedit voce sonante modos.*
Surge celer plumis; germanum *linquito* mortis.
Talibus à castris Phœbus *abesse solet.*
Degener haud mentis vigor est Heliconis Alumnis:
Oderunt somnum; frigora nulla timent.
Aspice; nunc summo declinat Cynthia *cœlo;*
Nec longum, fratri *iam dabit illa locum.*
Demiror vestésque Dei, *vultúsque nitentes,*
Et placidos, docto quos dabat ore, sonos.
Sed, benè dum intueor, non læto accedere vultu
Visus: & in nitidâ plurima fronte ruga.
Aggredior dictis. Quis te, pulcherrime rerum,
Tam tristi fecit tangere plectra sono?
Num rursum Daphne *fugitiua illusit* Amantem,
Corticibus *claudens candida membra suis?*
Aut alter Phaëton, *celso delapsus* Olympo,
Tristitiâ impleuit corda paterna graui?
Ille, vagis tandem singultibus *ora resoluens,*
Non sine lachrymulis *talia verba dedit.*
Dum nuper, medio in cursu, mea lora *reflecto,*
Et Batаui *intueor rura beata soli;*
En, subitò offertur nostris gratissima ocellis
Nympha, Iouis *magni digna cubare thoro.*
Protinus inflammor tam pulchrâ Virgine *captus,*
Et lin-

Et linquo, in terras, esseda, *desiliens.*
Tristia mox claros velabant nubila *cœlos.*
Illa, timens pluuiam, proxima tecta petit.
Insequor. Illa fores pradura occludit Amanti:
Nec quicquam nostræ tunc valuere preces.
Illa negat nostro solamina *ferre* dolori,
Eufrenīque *vocat* nomina *sola sui.*
En tua nunc Isabella, *refert,* Eufreniè, *sola est:*
Huc ades, & fer opem, *chare* Poëta, *tua.*
Quid faciam? Accessu prohibent me verba Puellæ
Aspera; nec curat Numina *nostra* dicax.
Errantem repeto currum, *flectoque* caballos;
Et doleo duræ verba seuera Deæ.
At tu ter felix, Eufreni, *iure vocandus,*
Cui læto aspectu pulchra Isabella *fauet;*
Quem patitur roseis infingere labra labellis;
Cum quo blandicias *conserit, atque* Iocos.
Hæc facit, vt viuas iuueniles molliter annos.
Perpetuâ *exhilarans pectora* lætitiâ.
Hæc tibi torporem *mentis depellit;* amaras
Curarum turbas *comprimit* alloquio.
Ergo tuam placidis Nympham *complectere in vlnis,*
O Iuuenis, Phœbi *connumerande* choro.
Tum Famam & Nomen *donet tua carmina* Amicæ;
Viuat vt in libris bella Isabella *tuis.*

Epithalamium
NVPTIIS
Clarißimi Iuuenis
GERBRANDI BVICKII, AMSTELII,
Sponſi;

AC

Honeſtißimæ Virginis
REINALDÆ HOOGERBETIÆ, HORNANÆ,
Sponſæ;

Celebratis Anno Iubilæo 1600.
Menſe Septembri.

QVIS *nouus exoritur plauſus? quid perſonat aures?*
Quid celeri tellus contremit icta pede?
Quid cytharæ lituiué cauas tinnitibus auras
Attingunt? Feriyt pectora læta ſonus.
Sed quid erit? Phœbus *rutilanti vertice prodit,*
Nec ſolito radij lumine, cerne, micant.
Quæ venit ornatos auro intertexta capillos,
Cui fulget roſeis candida forma genis?
Iam ſcio. (Nam natus ſequitur non paſſibus æquis.
Leua tenet pharetram, dextera parua facem.)
Eſt Cytherea Venus *Diuumque hominumq́; voluptas.*
Lætitiâ

Lætitiâ exultant pectora, corque salit.
Quid sibi vult gestus, quid Cypridis *iste* Triumphus?
Anne aliquis iuuenum vincula casta subit?
Sed canit, & Sponsi *resonans noua gaudia dicit,*
Et narrat Sponsæ *bella futura suæ.*
Nunc memini. Decus Amsteliæ, *gens* Buyckia, *longùm*
Optati nectit fœdera coniugij.
Nulla mora in nobis: pariter lætabimur, atque
Dicemus tanti vincula clara tori.
Sed me Pierius *dum feruor in aëra raptat,*
Labuntur rigido frigore membra mihi.
Iam fer opem, mea Musa: *tuis ego miles in armis*
Viribus aggredior non satis apta meis.
Amstela *subsidio* Nymphas *admitte marinas;*
Nam tibi præcellens hinc orietur honos.
Amstela tolle caput; rutilantia sydera pulsa;
Nam dabit hic nexus nomina magna tibi.
Non hic plebeio cretus de sanguine Sponsus,
Buickia *gens ortum cui dedit eximium:*
Cui genitor, veræ virtutis laude beatus,
Sybrandus, *niueæ* Relligionis *amans:*
Cuius Auus, Iusti *cum nomine & omine lætus,*
Coniunxit dextram, magne Philippe, *tibi;*
Alter Aristides, *quem patria celsa celebrat,*
Qui meruit serâ à posteritate coli.
Sed quid ego Proauos referam, quid stemmata, quorum
Laudibus haud dictis sit satis vna dies?
Amstela tolle caput; rutilantia sydera pulsa;
Nam dabit hic nexus nomina magna tibi.

Horna *tuum nomen nec carmina nostra silebunt,*
Cuius fœcundo Nympha *creata solo,*
Nympha *decus* Paphiæ, *gens* Hoogherbetia *partis*
Quo gaudet, cuius nomen in orbe sonat.
Huic pater, haud Musis *ignotus, dulcia plectro*
Carmina quæ fecit psallit & ipse suo.
Quid referam Patruum, Medici *cui magnus* Apollo
Et Vatis *dederat nomina clara sui?*
Huius mors longo celebrari carmine digna;
Talia sed iam nunc tempora læta vetant.
Amstela tolle caput; rutilantia sydera pulsa;
Nam dabit hic nexus nomina magna tibi.
Nomina magna tibi per sæcula longa Nepotes,
Quos gignent lecti prælia grata, dabunt.
Clari ambo, atque opibus celebres, aurique talentis.
Nil tamen hæc veræ nobilitatis habent.
Virtus *nobilitas sola est atque vnica, quæ post*
Interitum, mortis nescia, sola manet.
Hac & Gerbrandus *excellit* Buickius, *& se*
Digna, suo genere digna, Atauisque facit,
Hac & Hogerbeti *claret* Reinalda *propago,*
Nec proprio virgo est inferior genere.
Felix coniugium; felicia stemmata; felix,
Amborum iungens pectora casta, dies.
Gerbrando Reinalda *tuo lætare, nec illi*
Oscula, quæ iuueni sæpè cupita, neges,
Fronti deme manum, iam iam timor omnis abesto,
Et fugiat vanâ Relligione pudor.
Non iam Relligio tibi sit cinxisse lacertis,

Et cu-

Et cupidum tepido sæpè fouere sinu,
Aspice quàm Sponso *sit rara* Modestia *vultus.*
Aspice quàm forti pectore, quàmque Fide:
Quámque gerendarum decoret Prudentia *rerum.*
Virtutis *claro lumine flamma micat.*
Felix coniugium; felicia stemmata; felix,
Amborum iungens pectora casta, dies.
Sponse *tuam lætis* Sponsam *complectere in vlnis.*
Iam licet. Infigas basia mille tua.
O te felicem tam pulchrâ Virgine Sponsum,
Cui palmam formæ cesserit ipsa Venus.
Aspice fulgentes fragranti in vertice crines,
Flammeolos oculos, colláque lacteola.
Purpureasque genas, & labra corallina cerne,
Quæque labris stillant innumeræ Charites.
Brachia candorem cygni superantia specta,
Iunonisque *manus, mammiculas* Veneris.
Felix coniugium; felicia stemmata; felix,
Amborum iungens pectora casta, dies.
Felix, Gerbrando *quæ firmo fœdere nectit*
Reinaldam, *felix lux mihi semper erit.*
Illa quidem niueo meritò signanda lapillo,
Vate & commeruit de meliore cani.
Nostra tamen Sponsus *peruoluet fronte serenâ*
Carmina, quæ veniam si meruere, sat est.
Vane timor fugias, laudabitur ipsa voluntas;
In magnis, fertur, nam voluisse iuuat.
Sed iam nunc longis iussi discumbere mensis
Commixti pulchris virginibus iuuenes;

Atque columbatim coniungens oribus ora,
Infigit Nymphæ *basia quisque sua.*
Et nos stamus adhuc? Quid erit? Iungamur & ipsi,
Carmina cantantes qualiacunque choro.
Non decet in festis meditari tristia. Nostra hæc
Gaudia rellinquant, turba seuera, Sophi.
Namq́; hilares Cytherea *vocat. Procul este* Catones.
Hæc sacra pro partâ Virgine Sponsus *adit.*
Funde puer cyathis pellentia vina dolores.
Funde puer magnis Gallica *musta cadis;*
Aut quæ fœcundis dat crescere Rhenus *in agris,*
Quæ superent ipsum Nectar & Ambrosiam.
Hinc procul, hinc nigras fugias Phlegetontis *ad vndas*
Sæue dolor; reficit tristia corda merum.
Gaudia sola decent; lacrumis loca nulla supersunt.
Hic titubante sono garrula lingua rotat.
Garrula lingua rotans, tornat modulamine dulci,
Quæ festis vates carmina læta facit.
Musica, *dulcisono componens ordine chordas,*
Exhilarat iuuenes, exhilaratque senes.
Sed iam Phœbus *abit, notisque immergitur vndis;*
Et famulæ mensis vltima ferclâ locant.
O Hymenæe *canunt pueri innuptæque Puellæ.*
Huc venias facibus, ô Hymenæe, *tuis.*
Iamq́; Hymenæus *adest.* Charites *comitãtur euntem.*
Cumque suo puerò Cypria *pulchra venit.*
Nunc epulis exempta fames, mensæque remotæ.
Quisque suum ad cytharam motat ab arte latus.
Exigit ille suum numerum quintuplice saltu,

Rursum se in gyros ille rotat rapidos.
Tandem, vbi iam longis defessi membra chorais;
Panduntur thalami, sternitur arte torus.
Cantio lasciuum iam Fescennina *resultat.*
Virgo subit lectum iam trepidante gradu;
Et simul intrantem expectat metuitque maritum,
Insolitas posthac Nympha *initura vias.*
Ille moram renuit, speratäque gaudia gestit
Virginis in gremio carpere posse sua.
Lactea candidulis cinguntur colla lacertis.
Iam ioca, iam rixas, ludicra verba serunt.
Tu Lucina *faue. Faueas quoque* Pronuba Iuno:
Numine nec desis Persica *Diua tuo.*
Nec tu iucundos iuuenis contemne labores,
Sic multo reddet fœnere semen ager.
Viuite felices sub signis semper Amoris.
Donet coniugio tempora longa Deus.
Buyckia *iam veniat, atque* Hoogerbetia *proles,*
Sæculaque exuperent stemmata clara duûm.
Iamque valete nouo viuentes fœdere læti.
At nobis dubijs semita cæca latet.

CAR-

CARMEN
Melicum, Medicum, & Fescenninum,

Nuptiys, Clarissimi Doctissimique viri

D. IOANNIS ANTONII HASSVMII,

Medicinæ Doctoris Peritissimi, Sponsi;

E T

Castissimæ Virginis

GERTRVDIS BARENTIÆ, SPONSÆ;

Amstelodamensium.

DVM *viridi spatior resonantis margine riui,*
Atque auium dulcem ad cantum mihi corda resultant,
Ecce ingens murmur patulas diuerberat aures:
Cor salit, & pauido gelidos timor occupat artus:
Attamen auscultò ad sonitum, mentemque reflecto.
Vix cœlum intueor; lætantes agmine cygni
Bis seni tranant iucundo nubila cantu.
Nec mora; mox niueis venit Aphrogenia columbis
Inuecta, & curru nato *comitante rotatur.*
Lætari volucres, plausuque arbusta sonare.
Tum Dea *sic dictis stupefactum affarier orsa.*
Quid lentus cessas? quid te iuuat vsque morari?
Hæc mihi pro meritis referetur gratia tantis,
Quod factus fueris nostro Dux *agmine, vt ille*
(Cui Phœbus *curæ, cui* Numina *nostra fuere,)*
Discedat

Diſcedat de mente, tuo nec carmine onuſtus
Fulcra thori *ſcandat,* Nymphâ *comitante decorâ?*
En victas tendit dextras, ſua brachia tendit,
Et Paphijs *ſupplex aris imponit* honores.
Nil Coüs Hippocrates, *magni monumenta* Galeni
Nil proſunt. altâ confeſſus arundine *languet.*
Nulla Dioſcoridis *iecur illo* pharmaca *morbo*
Curarint; non vel Coſtus, Fumaria, Amomum;
Non Acori *folium, quamuis mea nomina geſtet.*
Et iam, ne noſtris poſſet ſe opponere caſtris,
Illius hortum noſtri euertere coloni.
Non ſupereſt Agnus Caſtus, *non* Saluia, *non (quæ*
Meque, meumque genus furiauit) peſſima Ruta.
Illorum ſubiere locum, Nux Indica, Scinci,
Et Lauri, Baccæ, longum Piper, *atque* Galanga;
Tum ſtimulans tardos, mihi grata, Eruca *maritos.*
Iam Medicas *iactet magnis cum laudibus artes.*
Sed non ille iacet ſolus: comes addita Virgo.
Et iam Nympha *(decus* Patriæ, *mea* Gloria *ſumma;*
Nata Patris, *de* flammanti *cui nomina* corde)
Accenſa eſt faculis, teloque Cupidinis *icta.*
Nunc manet ambobus, per me, ſua Gloria, Nomen:
Virginis *hic* oculis, precibus *iacet illius illa:*
Ille vocat Dominam, Dominum *vocat illa ſed illum.*
Ergo tuo celebres tam clarum carmine Feſtum.
Ipſa ego me accingam thalamo *affutura: ſed hora*
Labitur; & meus ornatus ſua tempora poſcit.
Hæc ait; atque Paphon *repetit ſedeſque relictas.*
Tunc ego conſurgens, hac greſſum ad limina flecto,

Ad noua militiæ dum prælia ſtrata tremiſcunt:
Sed tua caſtra moue, & propius iam conſere dextram,
Spicula contorquens gratos latura dolores.
Sentiat illa virum, ventris chariſſima geſtans
Pondera; quò pulchrâ faciat te prole parentem.
Iamq́ue valete: Animas animis coniungite: firmo
Corpora corporibus felices iungite nodo.
Nos miſeri incertam Venerem, incertoſq́; Hymenæos
Sectamur. Quæ nos tandem Fortuna benigna
Reſpiciet, myrtiq́ue dabit geſtare corollam?
Summe Deus, ſperata diu da gaudia tandem:
Da, poſt ambages; da, poſt diſcrimina mille,
Optatoq́ue thoro, atq́ue optatâ pace potiri.

In Erotica ALBERTI EVFRENI, Georgiadis, Amstelo-Bataui.

QVEM *non* Galbano *multum fucata veneno*
Carmina, non spurcâ plena iuuant Venere,
Hellespontiacâ *non æra crepantia dextrâ,*
Quæ vitium teneris auribus insinuant;
Ista, verecundo quæ Pïeris *intonat ausu*
EufrenI, Paphio *dum calet igne, legat*:
Ista legat Batauo *producta* Poëmata *cœlo,*
Quæ, cultum videat si Latium, *inuideat*.

FLORENTIVS IOANNIS
Coëtius, Herlemæus.

ALBER-

Alberti Evfreni Georgiadis Amstelo-Bataui, Poeseos et Medicinæ *Studiosi*,

BASIA.

Clariſsimo, Nobiliſsimo, Humaniſſimoque viro D. Gerbrando, S.F.I.N. Bvickio.

Qvantvm *ſit ingratitudinis crimen,* Perſæ *non obſcure docere ſoliti, cum nullum apud eos delictum grauius puniretur quam ingratitudo, & beneficij accepti obliuio. Hanc vt effugerem, tuorum in me beneficiorum memor,* (vir humaniſſime) *non infima* Patriæ *& ſtirpis tuæ gloria, vile & leuidenſe hoc opuſculum,* humanitati tuæ *dedicare, & in grati animi ſymbolam conſecrare volui. Haue. Ex Muſæo noſtro, Lugduno Batauorum. Anno poſt Chriſtum natum* ∞.Iↄ.c i. *Menſe Principe.*

Tuus, quem noſti,
Albertvs Evfrenivs
Georgiades Amſtelo-Batauus.

Ad Evn-

AD EVNDEM.

Qui nuper thalamos *cecinit, tua gaudia narrans,*
Gerbrande, Aöniis *concinuitque mòdis;*
Baſia *nunc, dulci* Veneris *condita lepore*
(Quæ iungunt nodis corpora bina ſuis,)
En, tuus ille offert Eufrenius. *Accipe lætus*
Baſia, Pïërijs *quæ celebrata choris.*
Baſia *lætus habe: tua ſunt, tua gaudia magna.*
Fas tibi, fas roſeis baſia *ferre genis.*
Liberiora tuæ tibi fas dare Baſia Amîcæ,
Cum Reinalda *dabit liberiora tibi;*
Quæ dat formoſis iam roſcida baſia *labris,*
Et tecum molles conſerit ipſa iocos.
Ergo humilem EufrenI *lætâ cape fronte* Camœnam.
Læta decent lætis carmina temporibus.

AD BASIA

Iuuenis vndequaq; ornatiſsimi

D. ALBERTI EVFRENII

GEORGIADIS,

Amſtelo - Bataui.

HÆC *ſunt* Baſiola *illa, quæ* Diones
Telo pectora ſaucius peregit
Hic Georgiades *&* Iſſàbella;
Quâ nil pulchrius eſt; vel eſſe poſſit,

 Et quà

Et quà Sol nitidum diem auſpicatur,
Et quà mergit eum maris ſub undas.
Hæc ſunt Baſiola *illa, quæ peregit*
Magno vulnere tactus Iſſabellæ,
Dum ſeſe niueis vtrinque dextris
Stringunt, & cupidè labris labella
Nudis nuda premuntur, vda & vdis.
Hæc ſunt Baſiola *illa, quæ peregit*
Tam diuerſimodè ſuauiterque
In caſtris Veneris, Cupidiniſque,
Hic Georgiades, *& ipſus in queis*
Mellitiſſima iam meretur ara.
Sed nil dulcius hiſce blandiúſque
Quicquam Baſiolis *dari, accipique*
A quoquam, potis eſt. quid ergo reſtat?
Huc huc, Baſia *qui datis libenter,*
Et hæc Baſia *baſiate, & hæcce*
Vsque ad Baſia *baſiate centum:*
Nam nunquam ſaturi inde vos futuri.
Summo iure igitur (abundè quando hîc
Latent omnia, quæ ambiunt Amantes)
Nihil dulcius hiſce blandiúſque
Poteſt Baſiolis *dari, accipique.*

Poſui, in Amorem & fauorem
Baſiorum,
AVGVSTINVS STALPERT
vander-Wiele, Hagienſis.

Cornelii Vinckii Gorcomiani Carmen, in honorem elegantiſsimi Poëtæ Alberti Evfreni Georgiadis, Amſtelo-Batavi.

ILLE Georgiades, Phœbææ *ſumma coronæ*
Laus, & Apollineâ *clarus in arte comes,*
Ecce, tibi indicium, pubes ſtudioſa, laboris,
Ecce, tibi Ingenij *ſigna dat alma ſui.*
En tibi dulce melos, en dulci Baſia *cantu;*
En tibi dulce, ſcatens vtilitate, melos.
Hic tibi, quæ magni quondam cecinere Poëtæ;
Hic tibi, quæ cecinit Naſo Poëta, *canit.*
Fallor, at obſcœnos non hic tibi tradet Amores,
Quæque queant caſtos dedecuiſſe viros,
Sed tibi dulce melos ſed dulci Baſia *cantu;*
Sed tibi dulce ſcatens vtilitate melos.

Alberti Evfreni

Georgiadis Amstelo-Batavi, *Poëseos & Medicinæ studiosi,* BASIA.

Ad Lectorem.

ARMA *gerant alij, ac per mille pericula iactent*
Corpora, sanguineas concutiantque manus;
Dilanientque virûm non vno vulnere vultus,
Rumpere queîs volupe est turpiter ense genas.
Nos mage tuta iuuant Veneris, *nec tristia castra,*
Queîs turpans dextras sanguine nullus inest.
Non lacerant artus hæc prælia, sed magè iungunt
Corpora; nec faciem pulsat amica cohors,
Non iuuat educto malas perstringere ferro;
Figere sed charis Basia *mille genis.*
Hæc nos delectant: Tristes procul ite Catones;
Moribus hisce ætas nam magis apta mihi.

Basium

Basium I.

ESSE *queant maiora homini num gaudia, quam cum*
Pangit Virgineis basia *crebra genis;*
Amborum quæ miscentur sudore tenello;
Spiritus inflexu quæ recreat calido?
Nulla putem: Nam quid posset magè gratius esse,
Quam fiunt vnum dum duo corda simul?
Basia *coniungunt duo corda, & corpora nectunt,*
Non secus ac membris associata anima est.
Illum ego crediderim duris in montibus ortum,
Lacte & nutritum tygridis esse putem;
Illi corda rear durum superantia marmor,
Pectoráque Alpinâ frigidiora niue;
Qui nunquam pulchræ capiatur Amore Puellæ,
Nec cupiat roseis oscula *ferre genis.*
Ille procul Iuuenum *cœtu est arcendus ab omni.*
Vrbanis non sit moribus ille mihi:
Sed fuerit dignus Coridonis *nomine talis;*
Et meruit Mopsi *dicier esse* Nepos.
Mitius Ingenium *nobis* Natura *creatrix*
Indidit, & Veneri *pectora aperta dedit.*
Barbarus, *omniuoroque ego sim crudelior vrso,*
Oscula si spernam, bella Isabella, *tua.*
Ergo iterum niueum cingat mea dextera collum,
Felix, cui dabitur tangere posse Deam:
Et centena tibi, millenáque millia pangam
Basia, *mortali quæ* Superi *inuideant.*

Basium II.

Huc propera, mea Lux, *charum nec desere* Amantem;
Aut ruo in amplexus, chara Isabella, *tuos.*
Multa columbatim iungamus basia *labris;*
Nec spernas vatem, *bella* Puella, *tuum.*
Nympha *veni: ecce tuus placido te* Eufrenius *ore*
Aduocat, atque suas vult sibi delicias.
Sed quid adhuc retrahit pudor? hinc procul Inuidus
Iungier Alberti *iam patere ora tuis.* (*abstat.*
Quid refugis, mea vita; *meo tua colla lacerto,*
En, iam stringo lubens: da mihi basiolum.
O! quam suauis inest roseo tibi spiritus *ore!*
O! quàm me recreant hæc tua basiola!
Sed miser, heu! quid nunc? quid sentio? cor *perit, & mi*
In rigido gelidus corpore sanguis inest.
Chara Isabella *foue gremio mea frigida membra:*
Dilectum molli suscipe, Nympha, *sinu.*
Iam redeunt vires, nunc corpus robora sumit;
Et calefacta tuo membra vigent gremio.
Sed tibi pro tanto quas soluam munere grates?
Quæ reddam meritis præmia digna tuis?
Sim tuus, & maneam, quam diu mihi vita, paratus
Semper in obsequium vertere cuncta tuum.

Basium III.

Oscula poscebam à charâ cum forte Puellâ,
Purpureasque genas;

Audiit ipsa preces nostras Isabella, *deditque*
Basia *pauca mihi:*
Mox iterum nostro, ceu territa, fugit ab ore,
Duraque deseruit.
Hæc me non recreant, refero: nil gaudia prosunt,
Rapta statim misero.
Hoc non largiri est, sed tantum ostendere, Amanti
Quæ placitura tuo.
Ergo iterum niueo collum connecte lacerto;
Da tua labra mihi:
Aut sinito, vt cupidis ego te complexus in vlnis
Dem mea labra tibi.
Nunc, Isabella, *places:* EufrenI *corda dolore*
Nunc subitò releuas.
Viuere nunc tandem iuuat. Hæc signanda lapillo
Candidiore dies;
Quâ nostræ licuit collo dare basia Amatæ,
Purpureisque genis.

Basium IV.

Viuamus dum fata sinunt feliciter; & me
Suscipe in amplexu, bella Isabella, *tuo.*
En victas tendo dextras, mea brachia tendo:
Ne mihi colla precor lactea, chara, nega.
Dum tua mî liceat gustare corallina labra,
Aspectuque frui, candida Nympha, *tuo;*
Haud ego perquiram, quid de me quisque loquatur.
Ah! pereant tetricâ cum grauitate senes.

Nil me verba mouent populi, nil dicta Catonis
Aspera, vix assis quæ facienda mihi.
Talia sed curæ mihi sint, dum colla lacerto
Cingo tuo, & languens basia *crebra fero?*
Morosam temno turbam; tibi vt oscula *figam,*
Et sugam immoriens ore tuo hanc animam.
Hæc ego. Tum, niueis me amplexa Isabella *lacertis,*
Dulcius Ambrosiâ *dat mihi* basiolum.

Basium V.

Non iuuat Ambrosia *ipsa* Deorum,
Quam consuêrunt tollere versu
Vsque ad cœli sydera Vates:
Ast Isabella *iuuant mage vestra*
Basia, *quæ* Ambrosiam *superare*
Sint potis. At numerare caueto;
Demque tuis ego multa labellis
Basia, *fine carentia certo;*
Et figas mihi crebra vicissim:
Sic coniunget Amor *duo corda,*
Et nos arcto fœdere nectet,
Quod non soluant tempora longa,
Sed perduret ad vltima vitæ.
Interea tua colla lacertis
Cingam; & roscida labra labellis
Istis, quæ mea corda perurunt
Iungam: nam fugit & perit ætas,
Et currit celeri pede, nec quæ
Præteriit reuocabitur hora.

Sed nunc iungis (sic decet) ora,
Exhilarantque animum tua labra,
Æmula rubris labra corallis.
O! quàm dulcia sunt tua nobis
Basia, *chara* Isabella! Isabella
Dulcior ipso Nectare Amanti.

Basium VI.

Inter Leidenses *celeberrima* Nympha Puellas
Stirpe, animo, formâ, Religione, fide;
Roscida labra tuo da, chara Isabella, Poëtæ.
Iungamus binas molliter usque animas:
Et placido amplexu conspiret mutuus ardor;
Nostraque syncerus pectora nectat Amor.
Vnum sic simus corpus, de corpore bino,
Et maneant bina corpore in vno animæ.

Basium VII.

Læsus acu Dominæ *digitus, pus stillat; at illa*
Poscit opem, & Medicas *aduocat ipsa manus.*
A me poscit opem: Si quid tua pharmaca *possunt,*
Prome, ait; atque herbas *prome salutiferas.*
Admoueo paucis quæ cognita. Nympha *repentè*
Sentit opem; & digitum conualuisse videt.
Tunc ego: Pro meritis *quæ restant* præmia *nostris?*
Certa tibi vênit quo mediante salus,
Sicné indonatus discessero? sicciné linques
Et vatem *&* Medicum, *chara* Isabella, *tuum.*
Gaudia *certa tuo da,* munera *paucula* Amanti,

Insi-

Insigens nostris basia *grata genis.*
Si deprompta iuuant nostrâ te pharmaca *ab arte:*
Pelle meos morbos. *(nam potes) arte tuâ.*
Ast Isabella, *graues tandem miserata* dolores,
Soluit pro meritis præmia *digna meis.*
Protinus incaluit corpus simul ac sua sentit
Gaudia; corque *istis* basiolis *rediit.*

Basiam VIII.

Stulte quid incusas? quid inania verbula gannis,
Quod placeat genio culta Puella *meo?*
Humanos tibi si mores Natura *negauit;*
Mœnia cur placeant, nec magè lustra tibi?
Si tibi sint odio formâ præstante Puellæ,
Nec mollire queant pectora cruda Deæ:
Linque vrbem, rellinque choros, Iuuenésq; Deásque:
Sit tibi sylua domus; sit tibi & herba cibus.
Mitius ingenium nobis tribuere Camœnæ:
Herba cibus non sit, nec mihi sylua domus.
Delectant cultis decoratæ moribus vrbes,
Humanúsque cibus, Virgineúsque *chorus.*
Non mihi sunt silicis circum præcordia venæ.
Me recreat castis ludere delicijs.
Me iuuat è Dominæ *vultu pendere decoræ,*
Illius & rutilis pascere membra oculis.
Sola Isabella *placet; sola hæc mihi firma* voluptas:
Tristia namque animo *demere cuncta potest.*
Turbatam quotiens obuelant nubila mentem,
(Siue ea de studijs *sint mihi nata meis;*

Siue alius caſus *nobis produxerit,) illa*
Confeſtim præſens eſt Medicina *mihi.*
Protinus illius mea cingunt brachia collum;
Et roſeis petitur fida medela *genis.*
Nec mora: mox vacuas dolor *euaneſcit in auras*;
Plenaque mox ſaliunt pectora lætitiâ.

Baſium IX.

Crebra nimis tibi me dare baſia, Vita, *reclamas*;
Et nimijs animum *paſcere* delicijs.
Neſcit habere modum, quæ complet pectora, flamma:
Et nihil eſſe poteſt dulce in Amore *nimis.*
Oſcula lætitiam *gignunt, renouantque* calores;
Ligna velut rapido dant alimenta *foco.*

Baſium X.

Baſia *da centum; promittas* baſia *centum*:
Vt ſemper ſperem, pulchra Iſabella, *aliquid.*
Spes *bona, dũ breuis eſt mora, me ſuſtentet* Amantem;
Nec crucient animum *tædia longa meum.*
Et iuuat inuita dare roſcida baſia Amicæ:
Nec ſemper, gratis quæ data, conueniunt.
Iam facilis patiare dari tibi baſia *mille*;
Et nolle interdum baſia *te ſimula.*
Nunc mihi dura veni; nunc exorabilis eſto :
Sic vario affectu paſcitur acer Amor.

Baſium. XI.

Ah! quid dura negas, mea Lux, *tua* baſia Amanti?
Supplicis ora tuo pellere ab ore potes?

Pellere

Pellere ab ore potes, crebro qui carmine sæpè
Descripsit laudes, pulchra Isabella, *tuas?*
Ille ego, qui cecini vestræ præconia famæ;
Et dixi formæ *plurima dona tuæ.*
Ille ego, quo longùm viuent tua Nomina Vate.
Ille ego, te noscet quo duce posteritas.
Haccine pro meritis *referetur* gratia *nostris?*
Hæc venient factis præmia *digna meis?*
Diua Paphi *prohibeto scelus: Da mollia* Amicæ
Pectora: *da faciles in mea* Vota animos.
Da, placidam Dominam: *Da, figere* basia *labris:*
Da, solitos liceat conseruisse iocos.
Tunc incensa tuis fumabunt munera Templis.
Ipse feram vestris plurima dona focis.
At, reddat si pauca mihi mea basia Nympha,
Effundam plenis vina falerna *cadis.*

Basium XII.

Dum nimium faciles perstringunt pectora flammæ,
Pro lubitu & Iuueni *cuncta serena fluunt;*
Turgescens fastu *nimio, fastidit* Amatam:
Pectora tunc illi frigidiora niue.
At si dura nimis Virgo *contemnit* Amantem,
Et surdâ cunctas combibit aure preces;
Longa nimis rutilas depellunt tœdia flammas;
Et sæpè exclusus tergora vertit Amor.
Tu, mea Lux, *verum inter vtrumq; manere memento:*
Nec mihi sis facilis, nec mihi dura nimis.

Chara

Chara Iſabella *tuo da talia* baſia Vati,
 Quæ nec rapta tibi, nec data ſponte mihi.

Baſium XIII.

Non eadem ſemper delectant baſia Amantes;
 Figere ſed varijs quæ variata modis.
Nunc dantur plenis præturgida baſia *labris;*
 Iunctaque nunc ſummis oribus illa iuuant.
Oſcula ſicca *alios delectant fixa* Puellis:
 Et ſunt qui malint humida *ferre ſuis.*
Baſia *me recreant alternis fixa labellis;*
 Vt iungam Dominæ baſia, *& illa mihi.*

Baſium XIV.

Nunc, precor, ô, miſero, mea Lux, *da paucula* Amanti
 Baſia, *queîs veniat priſtinus ore color:*
Vtque calor *redeat gelidos* natiuus *in artus,*
 Oſcula *da* Vati, *chara* Puella, *tuo;*
Qualia, non vllos experta Cupidinis ignes,
 Ferre patri *ſueuit* nata tenella *ſuo.*
Caſta *iuuant noſtris infixa* labella labellis,
 Et caſti Amplexus, alloquiumque decens.

Baſium XV.

Oſcula *qui cecini, qui carmine* baſia *dixi,*
 Quænam pro verſu præmia *digna feram?*
Paucula tu ſaltem non dedignabere Amanti
 Figere, pro meritis, bella Iſabella, *ſuis.*
Tu ſola es noſtrâ cantari digna Camœnâ:
 Sin rurſum dignus, Nympha, fauore *tuo.*

Sic nos constringant adamantina vincula Amoris
Dulce mihi, tecum viuere; *dulce* mori.

Elegiam hanc, propter non absimilem materiam (benigne Lector) subiungere, non absurdum mihi visum.

De more Batauorum, osculandi in curru procas, cum pontem transit; quod Hueten illis, maternâ linguâ.

Quis fuit, hunc Batauis morem *qui repperit oris,*
Quo Iuuenum *capiat gaudia magna cohors?*
Qui prior aggressus connectere colla lacertis,
Et non inuitis basia Virginibus
Figere; dum accliues conscendunt esseda pontes,
Et celeri motu dulce feruntur equi;
Ille fuit dignus, myrti *gestare* corollam,
Et variâ incinctum fronde referre caput.
Ille fuit dignus, Paphias *ductare* phalanges,
Atq; agili Veneris *flectere* signa *manu.*
O! quoties curru *teneris infixa* Puellis
Basia! *quæ tulerant* vulnera *sæua mihi.*
O! quoties, cupidis dum iungo labella labellis,
Inueni morbo pharmaca *certa meo!*
O! quoties nobis iter hac facientibus olim
Abstulerant longæ tædia crebra viæ!
At, quicunque fuit, morem *qui repperit illum,*
Imposuit grato nomen ab auxilio:
Nam, quamuis rapido quosdam combusserit igne,
Non raro præsens hic Medicina *fuit.*

FINIS.

ALBERTI EVFRENI GEORGIADIS,

Amſtelo-Batavi,

POESEOS ET MEDICINÆ *Studioſi*,

COMA.

Moribus & Ingenio excellenti Viro, D. NICOLAO, S.F.I.N. BUICKIO.

CUM *fratri tuo* (vir clariſſime) Baſia *dedicaſſem, merito iure te præterire indecorum putaui.* Offero *igitur, tuóque nomini conſecro,* Comam *hanc noſtram, libellum nouum, & materiã nulli antea, quod ſciam, tractatam: quam ſerenâ fronte reſpicias, & contra adlatrantium morſus defendas, rogo, & per amicitiam noſtram peto. Porro hoc noſtri in* humanitatem tuam *animi nec leue nec vile extare indicium volui; & in Amicitiæ noſtræ firmiſſimum fulcimentum omnibus eſſe notum. Tu, quod ſupereſt ab amico tuo amicè oblata* Poëmata (*quamuis non* Caſtalijs *fontibus reſperſa*) *ſuſcipe; &, vt ſoles, me ama. Haue. Ex Muſæo noſtro, Lugduno Batauorum. Anno poſt Chriſtum natum* cIↃ.IↃ.CI. *Menſe Principe.*

Tuus ex aſſe
ALBERTVS EVFRENIVS
Georgiades Amſtelo-Batauus.

Ad Eundem.

SCRIBERE *non valeo versu tua* Nomina: *tantas*
Non satis ad laudes *nostra* Camœna *facit.*
Quis vestram stirpem *dignis ornatibus ornet?*
Buickia *quisue aptè* stemmata *concelebret?*
Sed quid opus? Toto stirps *nota est* Buickia *in* orbe,
Nec didicit Batauo *clausa manere solo.*
Buickia gens *dextram coniunxit* Regibus *olim*,
Cum iusto Patriam *flecteret* Imperio.
Macte igitur Iuuenis, *tantò felicior* ortu;
Per mundi salebras *regna* superna *petens.*
Attamen & letâ *nostrum cape* fronte laborem,
Cumque Comis mentem *respice, quæso,* bonam.
Hoc petit Albertus; *cupit hoc data* dextera *vobis:*
Mutuus *hoc poscit, nec dubitatus,* Amor.

Aliud.

Lustrasti magnæ *præcelsa cacumina* Romæ,
Cumque suis cultam moribus Italiam.
Nunc placidus Batauos, *& limina nota reuisis;*
Atque hilari gressu tecta paterna subis.
Otia *post tantos* casus, Nicolaë, *petisti.*
Nunc etiam gaudens otia *nostra lege.*

IN COMAM ALBERTI EVFRENI GEORGIADIS, Amſtelo-Bataui.

DVM Dominę *errãtes per eburnea colla* capillos,
Et certâ aſtrictos lege, Poëta, *facis*;
Auſus, Acidalijs *transfixus cordã* ſagittis,
Vatibus *ignotam primus inire viam*:
Dignus es, Aöniös *tribuat cui* Cæſár honores;
Quod, reor, haud longum, ſi modò viuis, erit.
Dignus es, & Dominæ *qui promereare* fauorem,
Innumera & cui det baſia *pro numeris.*
Et, mea quod ſi non fallunt præſagia ſtellæ,
Ingrata nolit ſuſtinuiſſe notam;
Sed mox ſydereos *in te conuertet* ocellos:
Quod matri pater *eſt, hoc mihi, dicet, eris*;
Inque tuos ſeſe amplexus *dabit*, oſcula *gaudens*
Liberiora *dari*, liberiora *dare*;
Formoſæ exemplum formoſa imitata Corinnæ,
Quæ ſtuduit Vati *poſſe placere ſuo.*
Illa ſui nullo viuet moritura ſub æuo
Carminibus; *viuet ſic* Iſabella *tuis.*

THEODORVS A MELISSANT,
Roterodamus,

HENRICI MOVTHAEN UTRICIS Poëmation,

IN ALBERTI EVFRENII GEORGIADIS, Amstelo-Bataui.

COMAM.

ÆNEADVM *genitrix alium tibi quærere* Vatem
Olim Peligni *iussit* Alumnus *agri.*
Hic nouus Ardalidum *cultor, tibi iure* sacerdos,
Per celebres lusus sacra parata dabit.
Ille tuus Vates, Heliconis *gloria montis,*
(Docto Pimplæum *qui regit ore forum)*
Thespiadum, Charitũ *veneras,* Phœbiq; *conistram,*
Viuet, parsque eius magna superstes erit.
Tiphys *in* Hæmoniâ *fuit olim puppe magister.*
Antomedon *lentis curribus aptus erat.*
An Naso *parui* pueri Matrisque *minister,*
Tiphys *&* Antomedon *solus* Amoris *erit?*
Non. Nouus hic Vates Albertus Tiphys Amorum,
Antomedon Phœbi, Pïeridumque *chori.*
Ille tibi Naso *sacrabit opima secundus*
Præmia; quin primus præmia prima Comæ.

ALBER-

ALBERTI EVFRENI GEORGIADIS, Amstelo-Bataui, *Poëseos & Medicinæ Studiosi,*

COMA.

Ad Lectorem.

QVID titulum *mirare nouum, nomenq; libelli?*
En tibi; quæ cupias discere, Lectòr, *habe.*
Materiam *monstrauit* Amor, *dum præpete pennâ*
Dissoluit vestras, dulcis Amica, comas,
Atque ait; Heus, tales versu describe capillos.
Ingratum Dominæ *non erit illud opus.*
Sic puer: *At* crines *spectans,* Isabella, *decoros,*
In laudes rapior, candida Nympha, *tuas.*
Tu, Cytherea, *faue; nostram rege* Numine *dextram;*
Vt mea Posteritas *carmina sera legat.*

De apibus, mella legentibus è crinibus Isabellæ.

ECCE *ferebatur passis mea* Vita capillis
Ad virides cāpos, gramineosq; locos;
Lenè vbi pellucidi saliebant flumina fontis.
Præbebat gelidū Laurus *opaca solum.*
Hic molli sua membra dabat mea Vita *sopori,*
Occludens somno lumina victa graui.
Spargebant crines *gratum de vertice odorem.*
Aëra complentur crinibus Ambrosijs.
Protinus ingentes apium *sine lege ruentum*
Crebrescunt sonitus. murmurat omnis ager.
Iamq́ue aderat collecta manus; sparsósque capillos
Inuolitans, succos suxerat Ambrosios.
Spicula *nulla tamen roseo defixerat ore*
Gens apium, *cœli dum putat esse* Deam.

De Isabellæ, se pectentis, comis.

Mane erat, & nostram properabam visere Amicam,
Deponens tacitum ad limina nota pedem.
Ingredior: vultu tum chara Isabella *sereno*
Arridet: roseus currit in ora color:
Nam pulchros nitido pectebat pectine crines
Ipsa suis digitis comere docta caput.
At speculum, proprios referens in imagine vultus,
Pariete

Pariete pendebat candidiore niue.
Tunc ego: Quid frustra pauidam te cernere cogor?
Cur pudor & molles occupat iste genas?
Noui ego quid timeas: Vanas, ah! pectore curas
Pellito; nec metuas, dulcis Amica, *tuum:*
Namque doles, nullâ fluitent quod lege capilli,
Atque indistincti per tua colla *volent.*
Sic Diana *feras sequitur; sic tincta veneno*
In rabidos mittit spicula dira lupos:
Sicque, Isabella, *tuâ depromens tela pharetrâ,*
Infigis cordi vulnera *certa meo;*
Vulnera *quæ nullis tollat* Podalirius *herbis.*
Non hoc Pœoniâ *tollitur arte malum.*
Pelias *hasta olim, quæ vulnera fecerat hosti,*
Sustulit, & gratum contulit auxilium:
Sic poteris nostros iterum sanare dolores,
Pharmaca *nam tibi sunt, queîs mala nostra leues.*
Tabem *tolle nouam; ablatam mihi redde* salutem;
Vnaque, quæ lædis, sis Medicina *mihi.*
Ah! sinito Ambrosios *dextrâ me apprêndere* crines,
Plurimaque his rutilis basia *ferre* comis;
Quæ retinent, certis ac nectunt pectora vinclis,
Non secus ac pedicis *decipiuntur aues.*
Has ego si dignis extollere laudibus optem,
Versibus haud fuerit mî satis vna dies.
Quid mihi, si fuluo crines *claudantur in auro,*
Et caput hoc semper candida vittâ *tegat;*
Quid mihi profuerit tectos spectasse capillos,
Nec posse Ambrosiam *carpere* Cæsariem?

Vincula *deme tuis, &* legem *deme* capillis:
Vitta *procul, capitis tegmina ſintque procul.*
Intonſæ ludantque Comæ *per* lactea colla,
Et niueos humeros *molliter inuolitent.*
Sic mihi, non ſis compta licet, pergrata futura es.
Sic ego te cupiam ſæpè venire mihi.

Amor ſpeculum tenens, Iſabellâ ſe comente.

Dum pectebat pectine crines,
Connectens de more capillos,
Vertice quos Iſabella *nitenti,*
Dulci tinctos Nectare, *habebat:*
Stabat Amor, *ſpeculumque ferebat;*
Poſſet quo ſua Vita *videre,*
Et decoraret pollice membra.
Ille paratus in obſequium ire,
Et tua iuſſa capeſſere promptus;
Atque ego ſeruitium leue ſpernam?
Quod cupis, hoc mihi manda, Iſabella;
Tardabit mora nulla volentem:
Nam potes, & vires tibi magnæ,
Vno corpora nectere crine.

Amor ligatus crine Iſabellæ.

Dum cernit ſparſos ad frontem ludere Crines,
Cincinnoſque *videt, pulchra* Iſabella, *tuos;*

Arcum

Arcum *tendit* Amor, iaculumque *imponere tentat*,
Vt iecori *ferret* vulnera *certa tuo*.
Sed, capiens arcum *corpus dum flectit in arcum*,
Stringitur à rutilis crinibus *acer* Amor;
Idaliusque *puer, religatus* compede *forti*,
Non potis est Diæ *soluere* vincla comæ.
Erubuit; fletuque *madet* captiuus *acerbo*,
Temnere qui suetus Numina *cuncta fuit*.
Qui potuit summi contemnere tela Tonantis,
Vincitur à Dominæ crinibus *ille mea*.

Insolatio.

Dum passos *insolabat mea* Vita capillos,
Et gaudet comptas explicuisse comas;
Ecce, ego prætereo, vultumque *&* lumina *tollo*,
Nubila *num obducant* aëra *prospiciens*.
Lactea *sed niueo via se distendit hiatu*.
Sol *micat, & pluuias non minitatur aquas*.
Candida tum nostris oculis *oblata* Puella,
Pellere quæ mœstâ nubila mente *queat*;
Fulgida cui latâ splendebant lumina *fronte*,
Grata magis Phœbi lumina luminibus.
Sed tristem ex oculis pluuiam extorsere capilli,
Figere queîs præsens oscula *nulla queo*:
Nam bona *parturiunt magnos, quæ visa*, dolores,
Amplecti præsens quæ nequit ipsa manus.
Felix, cui liceat tales spectare capillos,
Et tantis oculos *pascere* delicijs.

Iudice

Iudice me, multo sed erit felicior ille,
Cui dabitur nitidis oscula *ferre* comis.

De Isabellâ & Cupidine.

Fulgidus extremo veniebat ab æquore Titan;
Surgebatque iterum splendidus orbe dies.
Ecce per irriguos ponit vestigia campos,
Vmbrosos quærens, nostra Puella, *locos.*
Dum transit saltus, viridisque vmbracula syluæ,
Vt fugeret radios, feruide Phœbe, *tuos:*
Protinus, arbustum vento quatiente, susurrus
Auditur, frondes ventilat aura *leues.*
Cincinnos *quatit* aura *meæ, crinesque* Puellæ,
Et non dispositas in statione comas.
Iam nitidi volitant per eburnea colla capilli:
Et iam spectaclûm *dulce ferunt* humeris.
Nunc latam *gaudent ad* frontem *ludere, &* ora;
Et nullâ roseas *tingere lege* genas.
Gratius & fuerat sparsos *spectare* capillos;
Quam comptum docto more *videre caput.*
Fortè per vmbrosos Deus aliger *ire recessus*
Conspicit, & pulchræ virginis ora *videt.*
Sed quoniam passis *incedere* crinibus *illam*
Cernit, syluarum *mox putat esse* Deam.
Iam sese vlcisci parat; & tam sæpè repulsus,
(Nam nulla arma feræ nunc ratus esse Deæ.)
Prælia *flammanti meditatur percitus* irâ;
Et capiti spondet laurea serta *suo.*

Arripit

Arripit accensam faculam; *dextrâque minaci*
Proijcit in Nymphæ flammea tela iecur.
Sed temnit faculas, *ignemque* Cupidinis *illa,*
Cunctaque in exitium spicula *missa suum.*
Tum verò attonito subit intima pectora sanguis;
Et cum singultu *talia fatur* Amor.
Quid miser, heu! studeo quid vulnera *ferre* Dianæ?
Ah! petitur iaculis *pulchra* Isabella *meis.*
Quid, miser, innocuam *volui læsisse* Puellam?
Ignoscas culpam, *candida* Nympha, Deo.
Hæc ait; & rutilis dat basia *crebra* capillis;
Gestit & Ambrosijs oscula *ferre* comis.

De vario Comarum cultu.

Non simplex Nymphis *modus est: sunt mille* figuræ
Ponendi comptas in statione comas.
Has iuuat, ad frontem sparsas *fluitare* capronas.
Illis cincinni tempora *condecorant.*
Crinibus auratis *spissatus vtrinque* racemus,
Nutantes Zephyri *quos leuis* aura *mouet,*
Illas delectat. Rursum has tenet altera forma,
Quæ cupiunt cirros *voluier* aureolos.
Illis Cæsaries auro argentoque *nitente*
Nodata: His iungunt serica fila comas.
Hæ cupiunt raros crines *extendere: at illæ*
Constringunt laxas *arte decente* comas.
Sic varias diuersa iuuant: Sed scribere versu,
Quot nectant crines, *quot varientque modis,*
Magnæ

Magnæ molis *opus fuerit. Non* carmina centum
Sufficiant. Fuerint non mihi mille *satis.*
Tu verò, cultos contemnito, vita, capillos;
Nec nimiâ comptas comito lege comas:
Namque tibi tales tribuit Natura *creatrix,*
Ut per se cunctis posse placere putem.

De ſimplici cultu Comæ; ad Iſabellam.

Ædificent aliæ turritâ mole capillos.
Suggeſtum *comptæ præſtrat illa* comæ;
Quam iuuat Italico *decorari* more Puellam;
Nec ſatis ad cultus terra Batauа *facit.*
Tu placeas Batauis *mihi,* Vita, *ornatibus. Haud mi*
Come comam. *Leuiter per tua* colla *volet.*
Aut, ſi ſtricta *iuuat,* binis *coniungito* nodis;
Albaque *connectat* faſcia cæſariem.

Capillos maximum eſſe corporis ornamentum.

Virginis *exornant* formoſi *membra* capilli;
Non ſecus ac celſum candida Luna polum.
Nam, formoſa *licet, procedat* calua Puella,
Crinibus *& fuerit deſpoliata ſuis:*
Illa licet cœlo *fuerit demiſſa ſupremo;*

Spuman-

Spumantique *licet nata sit* Oceano:
Sit licet ipsa Venus, Charitum *siue agmina ducat;*
Sitque Cupidineis *consociata choris:*
Cinnama *odora licet fragret, vel* balsama *roret;*
Non vel Vulcano *complacuisse queat.*

Se delectari pulchris Comis.

Delectant oculi, *delectant* basia Amantes;
Cumque genis roseis rubra labella *iuuant.*
Non minima at capitis sunt ornamenta capilli,
Qui pulchros vultus *condecorare solent.*
Me certè exhilarant pendentes *vertice* crines;
Fulgidaque *oblectat pectora* cæsaries.
Antè alias, Nymphis *formosior omnibus vna,*
Me recreas pulchris, pulchra Isabella, comis.

Ad Isabellam.

Ille ego, qui nuper cecini tua basia, Vates;
Nunc cecini Crines, *pulchra* Isabella, *tuos.*
Ardua materies, *nullis qua trita* Poëtis:
Effecit tuus hoc sed leue carmen Amor.
Tu suggessisti tantas in carmina vires,
Præmia *nunc dones digna* labore *meo.*
Iudicium *at populi varium nunc scripta subibunt.*
Da rursum vires, *pulchra* Isabella, *nouas.*

De Fran-

m
le
tr
tr
ar
h
ta
m
T
P
ſp
M
Ca

Moribus & Ingenio excellenti Viro,

D. Nicolao, S.F.I.N. Bvickio.

Cvm *fratri tuo* (vir clarissime) Basia *dedicassem, merito iure te præterire indecorum putaui.* Offero *igitur, tuóque nomini consecro,* Comam *hanc nostram, libellum nouum, & materiã nulli antea, quod sciam, tractatam: quam serenâ fronte respicias, & contra adlatrantium morsus defendas, rogo, & per amicitiam nostram peto. Porro hoc nostri in* humanitatem tuam *animi nec leue nec vile extare indicium volui; & in Amicitiæ nostræ firmissimum fulcimentum omnibus esse notum. Tu, quod superest ab amico tuo amicè oblata* Poëmata (*quamuis non* Castalijs *fontibus respersa*) *suscipe; &, vt soles, me ama. Haue. Ex Musæo nostro, Lugduno Batauorum. Anno post Christum natum* cIↃ.IↃ.c I. *Mense Principe.*

Tuus ex asse

Albertvs Evfrenivs

Georgiades Amstelo-Batauus.

Ad Eundem.

SCRIBERE *non valeo versu tua* Nomina: *tantas*
Non satis ad laudes *nostra* Camœna *facit.*
Quis vestram stirpem *dignis ornatibus ornet?*
Buickia *quisue aptè* stemmata *concelebret?*
Sed quid opus? Toto stirps *nota est* Buickia *in* orbe,
Nec didicit Batauo *clausa manere solo.*
Buickia gens *dextram coniunxit* Regibus *olim*,
Cum iusto Patriam *flecteret* Imperio.
Macte igitur Iuuenis, *tantò felicior* ortu;
Per mundi salebras *regna* superna *petens.*
Attamen & letâ *nostrum cape* fronte laborem,
Cumque Comis mentem *respice, quæso,* bonam.
Hoc petit Albertus; *cupit hoc data* dextera *vobis:*
Mutuus *hoc poscit, nec dubitatus,* Amor.

Aliud.

Lustrasti magnæ *precelsa cacumina* Romæ,
Cumque suis cultam moribus Italiam.
Nunc placidus Batauos, *& limina nota reuisis;*
Atque hilari gressu tecta paterna subis.
Otia *post tantos* casus, Nicolaë, *petisti.*
Nunc etiam gaudens otia *nostra lege.*

IN Co-

In Comam
Alberti Evfreni
Georgiadis,
Amſtelo-Bataui.

DVM Dominę *errãtes per eburnea colla* capillos,
Et certâ aſtrictos lege, Poëta, *facis*;
Auſus, Acidalijs *transfixus corda* ſagittis,
Vatibus *ignotam primus inire viam*:
Dignus es, Aonios *tribuat cui* Cæſar honores;
Quod, reor, haud longum, ſi modò viuis, erit.
Dignus es, *&* Dominæ *qui promereare* fauorem,
Innumera & cui det baſia *pro numeris*.
Et, mea quod ſi non fallunt præſagia ſtellæ,
Ingratæ nolit ſuſtinuiſſe notam;
Sed mox ſydereos *in te conuertet* ocellos:
Quod matri pater *eſt, hoc mihi, dicet, eris*;
Inque tuos ſeſe amplexus *dabit*, oſcula *gaudens*
Liberiora *dari*, liberiora *dare*;
Formoſæ exemplum formoſa imitata Corinnæ,
Quæ ſtuduit Vati *poſſe placere ſuo*.
Illa ſui nullo viuet moritura ſub æuo
Carminibus; *viuet ſic* Iſabella *tuis*.

Theodorvs a Melissant,
Roterodamus,

HENRICI MOVTHAEN UTRICIS Poëmation,

IN ALBERTI EVFRENII GEORGIADIS, Amſtelo-Bataui. COMAM.

ÆNEADVM *genitrix alium tibi quærere* Vatem
Olim Peligni *iuſſit* Alumnus *agri.*
Hic nouus Ardalidum *cultor, tibi iure* ſacerdos,
Per celebres luſus ſacra parata dabit.
Ille tuus Vates, Heliconis *gloria montis,*
(Docto Pimplæum *qui regit ore forum)*
Theſpiadum, Charitũ *veneras,* Phœbiq; *coniſtram,*
Viuet, parſque eius magna ſuperſtes erit.
Tiphys *in* Hæmoniâ *fuit olim puppe magiſter.*
Antomedon *lentis curribus aptus erat.*
An Naſo *parui* pueri Matriſque *miniſter,*
Tiphys *&* Antomedon *ſolus* Amoris *erit?*
Non. Nouus hic Vates Albertus Tiphys Amorum,
Antomedon Phœbi, Pïëridumque *chori.*
Ille tibi Naſo *ſacrabit opima ſecundus*
Præmia; quin primus præmia prima Comæ.

ALBER-

Alberti Evfreni Georgiadis, Amstelo-Bataui, *Poëseos & Medicinæ Studiosi,*

COMA.

Ad Lectorem.

QVID titulum *mirare nouum, nomenq́; libelli?*
En tibi; quæ cupias discere, Lector, *habe.*
Materiam *monstrauit* Amor, *dum præpete pennâ*
Dissoluit vestras, dulcis Amica, comas,
Atque ait; Heus, tales versu describe capillos.
Ingratum Dominæ *non erit illud opus.*
Sic puer: *At* crines *spectans,* Isabella, *decoros,*
In laudes rapior, candida Nymphа, *tuas.*
Tu, Cytherea, *faue; nostram rege* Numine *dextram;*
Vt mea Posteritas *carmina sera legat.*

Pariete pendebat candidiore niue.
Tunc ego: Quid frustra pauidam te cernere cogor?
Cur pudor & molles occupat iste genas?
Noui ego quid timeas: Vanas, ah! pectore curas
Pellito; nec metuas, dulcis Amica, *tuum:*
Namque doles, nullâ fluitent quod lege capilli,
Atque indistincti per tua colla *volent.*
Sic Diana *feras sequitur; sic tincta veneno*
In rabidos mittit spicula dira lupos:
Sicque, Isabella, *tuâ depromens tela pharetrâ,*
Infigis cordi vulnera *certa meo;*
Vulnera *quæ nullis tollat* Podalirius *herbis.*
Non hoc Pœoniâ *tollitur arte malum.*
Pelias *hasta olim, quæ vulnera fecerat hosti,*
Sustulit, & gratum contulit auxilium:
Sic poteris nostros iterum sanare dolores,
Pharmaca *nam tibi sunt, queîs mala nostra leues.*
Tabem *tolle nouam; ablatam mihi redde* salutem;
Unaque, quæ lædis, sis Medicina *mihi.*
Ah! sinito Ambrosios *dextrâ me apprendere* crines,
Plurimaque his rutilis basia *ferre* comis;
Quæ retinent, certis ac nectunt pectora vinclis,
Non secus ac pedicis *decipiuntur aues.*
Has ego si dignis extollere laudibus optem,
Versibus haud fuerit mî satis vna dies.
Quid mihi, si fuluo crines *claudantur in auro,*
Et caput hoc semper candida vittâ *tegat;*
Quid mihi profuerit tectos spectasse capillos,
Nec posse Ambrosiam *carpere* Cæsariem?

Vincula *deme tuis, &* legem *deme* capillis:
  Vitta *procul, capitis tegmina ſintq́ue procul.*
Intonſæ ludantq́ue Comæ *per* lactea collæ,
  Et niueos humeros *molliter inuolitent.*
Sic mihi, non ſis compta licet, pergrata futura es.
  Sic ego te cupiam ſæpè venire mihi.

Amor ſpeculum tenens, Iſabellâ ſe comente.

Dum pectebat pectine crines,
Connectens de more capillos,
Vertice quos Iſabella *nitenti,*
Dulci tinctos Nectare, *habebat:*
Stabat Amor, *ſpeculumq́ue ferebat;*
Poſſet quo ſua Vita *videre,*
Et decoraret pollice membra.
Ille paratus in obſequium ire,
Et tua iuſſa capeſſere promptus;
Atq́ue ego ſeruitium leue ſpernam?
Quod cupis, hoc mihi manda, Iſabella;
Tardabit mora nulla volentem:
Nam potes, & vires tibi magnæ,
Vno corpora nectere crine.

Amor ligatus crine Iſabellæ.

Dum cernit ſparſos ad frontem ludere Crines,
  Cincinnoſq́ue *videt, pulchra* Iſabella, *tuos;*
Arcum

Arcum *tendit* Amor, iaculumque *imponere tentat,*
Vt iecori *ferret* vulnera *certa tuo.*
Sed, capiens arcum *corpus dum flectit in arcum,*
Stringitur à rutilis crinibus *acer* Amor;
Idaliusque *puer, religatus* compede *forti,*
Non potis est Diæ *soluere* vincla comæ.
Erubuit; fletuque *madet* captiuus *acerbo,*
Temnere qui suetus Numina *cuncta fuit.*
Qui potuit summi contemnere tela Tonantis,
Vincitur à Dominæ crinibus *ille mea.*

Insolatio.

Dum passos *insolabat mea* Vita capillos,
Et gaudet comptas explicuisse comas;
Ecce, ego prætereo, vultumque *&* lumina *tollo,*
Nubila *num obducant* aëra *prospiciens.*
Lactea *sed niueo via se distendit hiatu.*
Sol *micat, & pluuias non minitatur aquas.*
Candida tum nostris oculis *oblata* Puella,
Pellere quæ mæstâ nubila mente *queat*;
Fulgida cui latâ splendebant lumina *fronte,*
Grata magis Phœbi lumina luminibus.
Sed tristem ex oculis pluuiam extorsere capilli,
Figere queîs præsens oscula *nulla queo:*
Nam bona *parturiunt magnos, quæ visa,* dolores,
Amplecti præsens quæ nequit ipsa manus.
Felix, cui liceat tales spectare capillos,
Et tantis oculos *pascere* delicijs.

Iudice me, multo sed erit felicior ille,
Cui dabitur nitidis oscula *ferre* comis.

De Isabellâ & Cupidine.

Fulgidus extremo veniebat ab æquore Titan;
Surgebatque iterum splendidus orbe dies.
Ecce per irriguos ponit vestigia campos,
Vmbrosos quærens, nostra Puella, *locos.*
Dum transit saltus, viridisque vmbracula syluæ,
Vt fugeret radios, feruide Phœbe, *tuos:*
Protinus, arbustum vento quatiente, susurrus
Auditur, frondes ventilat aura *leues.*
Cincinnos *quatit* aura *meæ, crinesque* Puellæ,
Et non dispositas in statione comas.
Iam nitidi volitant per eburnea colla capilli:
Et iam spectaclûm *dulce ferunt* humeris.
Nunc latam *gaudent ad* frontem *ludere, &* ora;
Et nullâ roseas *tingere lege* genas.
Gratius & fuerat sparsos *spectare* capillos;
Quam comptum docto more *videre caput.*
Fortè per vmbrosos Deus aliger *ire recessus*
Conspicit, & pulchræ virginis ora *videt.*
Sed quoniam passis *incedere* crinibus *illam*
Cernit, syluarum *mox putat esse* Deam.
Iam sese vlcisci parat; & tam sæpè repulsus,
(Nam nulla arma feræ nunc ratus esse Deæ.)
Prælia *flammanti meditatur percitus* irâ;
Et capiti spondet laurea serta *suo.*

Arripit

Arripit accensam faculam; *dextrâque minaci*
Proijcit in Nymphæ flammea tela iecur.
Sed temnit faculas, *ignemque* Cupidinis *illa*,
Cunctaque in exitium spicula *missa suum*.
Tum verò attonito subit intima pectora sanguis;
Et cum singultu *talia fatur* Amor.
Quid miser, heu! studeo quid vulnera *ferre* Dianæ?
Ah! petitur iaculis *pulchra* Isabella *meis*.
Quid, miser, innocuam *volui læsisse* Puellam?
Ignoscas culpam, *candida* Nympha, Deo.
Hæc ait; *& rutilis dat* basia *crebra* capillis;
Gestit & Ambrosijs oscula *ferre* comis.

De vario Comarum cultu.

Non simplex Nymphis *modus est: sunt mille* figuræ
Ponendi comptas in statione comas.
Has iuuat, ad frontem sparsas *fluitare* capronas.
Illis cincinni tempora *condecorant*.
Crinibus auratis *spissatus vtrinquè* racemus,
Nutantes Zephyri *quos leuis* aura *mouet*,
Illas delectat. Rursum has tenet altera forma,
Quæ cupiunt cirros *voluier* aureolos.
Illis Cæsaries auro argentoque *nitente*
Nodata: His iungunt serica fila comas.
Hæ cupiunt raros crines *extendere: at illæ*
Constringunt laxas *arte decente* comas.
Sic varias diuersa iuuant: Sed scribere versu,
Quot nectant crines, *quot varientque modis*,

Magnæ

Magnæ molis *opus fuerit. Non* carmina centum
Sufficiant. Fuerint non mihi mille *satis.*
Tu verò, cultos contemnito, vita, capillos;
Nec nimiâ comptas comito lege comas:
Namque tibi tales tribuit Natura *creatrix,*
Ut per se cunctis posse placere putem.

De ſimplici cultu Comæ; ad Iſabellam.

Ædificent aliæ turritâ mole capillos.
Suggeſtum *comptæ præſtrat illa* comæ;
Quàm iuuat Italico *decorari* more Puellam;
Nec ſatis ad cultus terra Batauia *facit.*
Tu placeas Batauis *mihi,* Vita, *ornatibus. Haud mî*
Come comam. *Leuiter per tua* colla *volet.*
Aut, ſi ſtricta *iuuat,* binis *coniungito* nodis;
Albaque *connectat* faſcia cæſariem.

Capillos maximum eſſe corporis ornamentum.

Virginis *exornant* formoſi *membra* capilli;
Non ſecus ac celſum candida Luna polum.
Nam, formoſa *licet, procedat* calua Puella,
Crinibus *& fuerit deſpoliata ſuis:*
Illa licet cœlo *fuerit demiſſa ſupremo;*

Spuman-

Spumantique *licet nata sit* Oceano:
Sit licet ipsa Venus, Charitum *siue agmina ducat*;
Sitque Cupidineis *consociata choris:*
Cinnama *odora licet fragret, vel* balsama *roret*;
Non vel Vulcano *complacuisse queat.*

Se delectari pulchris Comis.

Delectant oculi, *delectant* basia Amantes;
Cumque genis roseis rubra labella *iuuant.*
Non minima at capitis sunt ornamenta capilli,
Qui pulchros vultus *condecorare solent.*
Me certè exhilarant pendentes *vertice* crines;
Fulgidaque *oblectat pectora* cæsaries.
Antè alias, Nymphis *formosior omnibus vna*,
Me recreas pulchris, pulchra Isabella, comis.

Ad Isabellam.

Ille ego, qui nuper cecini tua basia, Vates;
Nunc cecini Crines, *pulchra* Isabella, *tuos.*
Ardua materies, *nullis qua trita* Poëtis:
Effecit tuus hoc sed leue carmen Amor.
Tu suggessisti tantas in carmina vires,
Præmia *nunc dones digna* labore *meo.*
Iudicium *at populi varium nunc scripta subibunt.*
Da rursum vires, *pulchra* Isabella, *nouas.*

De Fran-

De Franciſcâ Emanuelis Ruſſij.

Quid? Franciſca *tua quæ tanta* ſuperbia formæ?
Sic ſaliunt Ruſſij *pectora* Amore *tibi?*
Num Stygij piceâ *tincti* fuligine crines
Hunc tibi dant faſtum? *Ah! pone* ſuperba modum,
Pone modum, talpaſque albis *ne contege vittis.*
Atra *decent* nigram tegmina cæſariem.
Fucato *at pateris* crines *ſi ludere* vultu;
Extimeat formam Cerberus *ipſe tuam.*

FINIS.

ALBERTI EVFRENI
GEORGIADIS
Amſtelo-Bataui,
POESEOS ET MEDICINÆ
Studioſi,

SYLVA.

Clarissimis, Doctissimis, Humanissimisq; viris,

D. Doct. LÆVINO BOTTERO, I.V.D. Medico, & Amersfurtianæ vrbi à Secretis, & ibidem in Gymnasio Iuris Professori Publico;

D. IOANNI CORNELÆO GESSELIO, in Gymnasio Amersfurtiano Historiarum Professori Publico, & Scholæ ibidem Moderatori;

D. EGBERTO STAVERDENO, Philosopho, & in Gymnasio Amersfurtiano Logices Professori Publico, nec non Scholæ ibidem Professori.

D. CORNELIO SCHONÆO, Poëtarum Comicorum nostri æui Principi, & Herlemianæ Scholæ Moderatori:

D. GVLIELMO POELENBVRGIO, Herlemianæ Scholæ olim Conrectori, nunc magno Scholæ cum damno ab officio semoto:

Præceptoribus meis, his Herlemi, illis Amersfurti, benè de me Studijsque meis meritis, In grati animi signum figo

ALBERTVS EVFRENIVS GEORGIADES, AMSTELO-BATAVVS,

Poëseos & Medicinæ studiosus.

Anno post Christum natum, cIɔ. Iɔ. CI. Mense Principe.

A D

AD EOSDEM.

CLARI cultores Heliconis; *queis iuga montis*
Cognita Parnassi, Castalidesque *fauent:*
Accipite hoc tenui *modulatum in* arundine carmen;
Nec feriat cultos barbara Musa *animos.*
Hæc meritò vobis EVFRENIVS *obtulit ipse,*
Accepti nunquam non memor officij.
Lætatus vobis si præceptoribus *olim,*
Dum Musas *sequitur tardior* Aönides?
(Eius si modò quid possit præstare Camœna)
Gaudete ob vestri carmina discipuli.
Non planè in vacuas vester discesserit auras
Sudor, *cumque bonâ* sedulitate labor.

VICTRIX MORTIS

VIRTVS.

AD ALBERTVM EVFRENIVM GEORGIADES, Amstelo-Batauum.

NON *semper celeri* Taurica *turbidas*
Cursu persequitur Cynthia *belluas:*
Non arcum miseris Delphicus *assolet*
Semper tendere gentibus.
Sed nec Pegaseum Calliope melos
Vsque ac vsque suum continuant; neque
Noctes, atque dies, Strymonij Dei
Auditur rigidus furor.
At te non cupidis otia literis
Immiscere iuuat; sed magis & magis
Pallentem *sequitur* cura scientiam,
Mentisque Herculeus labos.
Hinc tu nunc Studijs Pallados Atticæ
Imbutus, Nomio *gratus* Apollini *es,*
(Testes progenies Mnemosines) *tui*
Dotes ingenij *explicans.*
Est testis Basij gloria *publici,*
Quam nactus retines; Syluaque *cum* Comis,
Testis; dum ingenio *claram* Isabellulam
Alto extollis acumine.
Dulce ex ore melos Nectareum *fluit;*
Seu mulcere animos flexanimus *velis*

Rhetor;

Rhetor; *seu resonas* carmen *amabile,*
Venturi *benè* præscius.
Hinc & lauricomo *pôsta nequit loco*
Celari hac celebris gloria nominis:
At dudum penetrat (non dubius loquor)
Arcanos Batauum *sinus;*
Nec non, quaque Lemi *á nomine mœnia,*
Abludit gelido gurgite qua Sparus,
Multum luxurians nomine *splendido,*
Schonæi, Aonidum Ducis.
Te te Discipulo, *qui melioribus*
Te instruxit studijs, *gestiyt, inclytus*
Pollenburch Titulis; cui Patria, immemor
Accepti, Cathedram inuidet.
Te clarus Genitor, *plaudit &* Amstela:
Te lætatur Amersfortia: *Te* Venus
Elegit, caneres vt sua prælia,
Amplo inflatus Apolline.
Macte Alberte: *virens hinc tibi* Laurea.
Discede Inuidia; *ah! proles iners* Stygis:
In hunc iuris *habent* fata sinistra *nil*
Fortunæ variabilis.

IACOBVS PETRI SCHVERIVS,
à Pollenberch.

IN SYLVAM

ALBERTI EVFRENI

GEORGIADIS,

Amſtelo-Batavi.

NVLLA, Tibulle, *tuũ* nomen *memori eximet æuo*
Ætas, *&* nomen *nulla*, Catulle, *tuum*.
Donec erunt Muſæ, *noti viuetis vterque;*
Viuet & Auſonij gloria Callimachi.
Nec tua laus Muſæ, *veniens quam his inſeret ætas,*
Eufreni, *in rapidos omnis itura rogos.*
Laus *viuet; nec te tua terra* Batava *tacebit;*
A te quæ magnum *ſperat, habetque,* decus.
Poſteritaſque *tuos leget haud ingrata* labores;
Et tua ad extremos Muſa *feretur* auos.

FLORENTIVS IOANNIS
Coëtius, Herlemæus.

ALBERTI EVFRENI GEORGIADIS Amstelo-Bataui, *Poëseos & Medicinæ Studiosi,* SYLVA.

Ad Lectorem.

NON *canimus* syluas; syluæ *sed nomine cuncta*
Tractamus. *vario* carmine *crescit* (opus.
Et varia, vt diuersa in syluis *nascitur* arbor,
Vno sunt nobis accumulata libro:
Vtque orni syluas *ornant, humilésque* myricæ;
Sic leuia, *&* scriptis seria *mixta meis.*
Tu, quem delectat consumere Vatibus horas,
Hæc lege. quod placeat forsitan inuenies.

AD EVNDEM.

Accipe, quem inuiti fœtum protudimus: & tu,
Qui legis, in partem consule, quæso, bonam.
At plura, & meliora etiam fortasse dabuntur;
Hoc tibi si placeat, candide Lector, opus.
Non ego magna peto, quæ non contingere possim.
Quæritur hoc campo gloria *nulla mihi.*
Ignoscat, quæcunque leget studiosa Iuuentus:
Si tamen & nugas *perleget ista meas.*

Clarissimo Doctissimoque viro

D. PAVLO G. F. P. N. MERVLÆ I. V. D. & in Academiâ Lugduno-Batauâ Historiarum Professori dignissimo.

Iam fuge Liuor iners; iam nostrum linque libellum.
Non refres isto à carmine serta *tibi.*
Haud me deterrent mordacis *dicta* susurri;
Dum, Paule, *arrident* carmina *nostra tibi.*
Nil metuam. Vacuas timor *omnis abibit in* auras:
Namque satis, Merulâ Iudice, tutus *ero.*
Sat mihi, si tanto placeat mea Musa Poëtæ.
Sat mihi, iudicio *me placuisse tuo.*
Sed tibi quas calamo *referam, quas* pectore grates?
Voluere qui trutinas vilia metra *potes.*
Tantum hæc pro tantis meritis *cape* disticha; *quamuis*
Non hausta è puris fontibus Aönidum.
Plura tibi (tricas *ni affundere* Musa *timeret*
Et tam purgatis auribus affanias;)
Et meliora darem, si lætus Apollo *fauerct.*
Nunc viles apinas *consule*, Paule, *boni.*
O! vtinam dignis *possem tua* Nomina metris,
Atque aptâ laudes *dicere* voce *tuas!*
Iam saltem, facilis *potuit quæ ludere* auena,
Accipe. Quæ poscis mittimus illa tibi.

Claris-

Clarißimo Doctißimoque viro

D. BONAVENTVRÆ VVLCANIO, Græcæ Linguæ in Academiâ Lugduno-Batauâ Professori.

Vulcani (Dias *quem* Bruga *eduxit in* auras,
Quo felix gaudet terra Batauа *viro*;
Quem chorus *omnis amat* Phœbi, *quē* laude *coronat*;
Cuius præ reliquis inclyta Fama *volat*,)
Emendet tua non cultos censura *libellos*.
Sub trutinam *reuoca, quæ minus apta fluunt*.
Iudicio, ingenioque *tuo submittimus illos*;
Sydera *quo* cœli *clara videre queant*.
Erepti tenebris *poterunt sic cernere* lucem,
Atque aliquo nostris Vatibus *esse loco*.
Parua peto: nam magna vetant exposcere nugæ.
Magnos magna decent: Me relegant iuuenes.

Nobilissimo & Amplissimo viro

IACOBO AVGVSTO THVANO, Christianissimi Galliarum Regis Consiliario, & Regni Curiæ Præsidi, Poëtæ clarissimo.

Phœbi *&* Castalidum *decus immortale* Thuane,
O Princeps vatum, *quo* Gallia *læta superbit;*
(Quem iuuat assiduo corradere scripta labore,
Atque Poëtarum *versus conquirere;) ad ædes*
Peruenient si fortè tuas mea carmina, & aures
Tam cultas duris *obtundent* vocibus; *oro*
Ignoscas facilis, cœlo *nam facta* Batauo.
Ignoscas, cui vix cinctæ lanugine malæ;
Nec nisi sub calamum cui carmina nata fuere:
Qui (si Phœbæi *completus* Numinis *aurâ*
Esset, & Aönidum *melius versatus in* hortis,)
Cum reliquis caneret tua nomina *magna* Thuane,
Gaudens, quod tantum posset laudare Poëtam.

In obi-

In obitum Patris Pientissimi, Prudentissimi, omnibúsque ciuibus charissimi,

GEORGI BARENTI EVFRENI,

Mercatoris, & ciuis Leidensis.

Siste viator *iter, quamuis te magna retardent;*
Nec sine lachrymulis *verbula pauca lege.*
Hic Mercatoris *decumbunt ossa* GeorgI;
Cui tamen haud magnum *defuit* ingenium:
Quem dare si studijs *voluisset* cura parentum
Tempora, *non caperet terra* Bataua *virum.*
Mens *illi* Prudens, Constans, *nec dedita fraudi;*
Atque apinas *vulgi spernere* iudicio.
Annis cum septem dum bis sex lustra peregit,
Occidit; & tantum tam breuis vrna *tenet.*
Patria Leida *fuit. Vidit* ciuem Amsterodama;
Et fusa in lachrymas funere *tota fuit.*
Mœnia *luctisono* planctu *completa,* feretro
Turpati fletu *dum posuere* senem.
Heu! fato genitor *nobis ereptus acerbo.*
Corpus *humo tegitur*; mens *bona ad* astra *volat.*
Viue memor mortis, *qui magna* negocia *curas,*
Quisquis eris; ne te mors *inopina legat.*
Sic genitor, mortem, *supremaque tempora versans,*
Vitæ *in* fine *sua* prouidus *occubuit.*

In obi-

In obitum GERTRVDIS GEORGI, F. Sororis charissimæ; quæ XIV. tantum annos nata ex hac vitâ migrauit. Ipsa loquitur.

Quæ toties digitis coniunxi plurima fila,
Heu! cado; nec filum *iungere posse datur.*
Quæ tensos feci neruos *resonare suave;*
Me nullum neruum *tendere posse gemo.*
Gaudebat genitor legerem *cum scripta* Latina:
Tristatur, dum me mors *inopina* legit.
Conabar Latiâ conscribere carmina *linguâ:*
Asscripsit *mœsto* mors *truculenta choro.*
Sedula dum studeo Graias perrumpere *in* oras;
Heu! penetrat *lethum candida in* ora *mihi.*

Nobiliss. & Doctiss. viro D. ADRIANO VANDER-BVRCHIO, VLTRAIECTINO; Poëtæ elegantissimo.

Spes *facit, ô* Burchi, vatum *decus, atque* sororum,
Quas Aganippæi *fluminis vnda videt.*

Incom-

Incomptum compto carmen conscribere Vati,
Pro versu & nugas, quisquiliasque *dare.*
Sed facilem te spero mihi. Spes *sola timentem*
Impulit, & cymbæ pandere vela iubet.
Alma Fides, *terris cœlo demissa supremo,*
Multorum, heu! manibus iam violata iacens,
Excitat, & dictis instigat talibus vltro:
Quid metuis nostrum velle videre decus?
I, fruere aspectu; *nec dedignabitur ille,*
Si petis, alloquijs *exhilarare suis.*
Illa Fides. Spem *diua dedit* Spes. *Iungere* Amorem
Quis vetat, & Vatum *quærere* Amicitiam?
Non Amor *ipse vetat; non tu, qui carmine* Amorem
Extollis, Burchi, Spemque Fidemque *tuo.*
His fultus, tua pono meos ad limina gressus,
Antoninæ *vrbis* gloria, honor Batauum.
Atque etiam versus & vestra Poëmata *quisquam*
Perlegit, & magni nominis author *eris.*
Aurea dum Bataui *tollentur ad astra* Poëtæ;
Dicetur magno Burchius Ingenio.
Donec honor Phœbo *doctis &* Gloria Musis;
Dicentur numeri, Burchie *culte tui.*
Non te Liuor *iners ignauo carpere dente*
Audeat, aut scriptis inseruisse manum.
O! pereat potius, synceros rodere versus
Quisquis amat. veniat, Cerbere, *præda tibi.*
Fucorum *demi* nubem *cupis, atque bifrontem*
Vertumni *faciem. pectora aperta cupis.*
Hoccine candidulum pectus mala lingua susurro
Impetat

Impetat? Ah! pereat, cui maledicta *placent.*
Ah! pereat, sacros sæuus qui lædere Vates,
Atque Theonino *rodere more potest.*
Me iuuat attentâ venerari mente Poëtas,
Musarum *& comites suspicere* Aonidum:
Inter quos gentis iubar, *& noua* gloria *sæcli,*
Carmine præfulges, magne Poëta, *tuo.*
Tu, precor, insubidam vultu ne temne Camœnam
Asperiore; tibi sed lege scripta fauens.
Tu lege scripta tibi; iuuenem *nec despice, & annos;*
Ast magis hunc in respicias animum.
Respicias animum, *qui vestri incensus* Amore;
Cui vester dederit magna talenta fauor.
Argentum *haud posco; sordent mihi munera* Pluti.
Sat mihi quo viuam, dum retinere datur.
Magne tuum tantum Vates *mihi cura* fauorem
Quærere; quo parto, parto trophæa *mihi.*
Hoc fuit, Antoninæ *vrbis cur mœnia adirem.*
Hoc fuit in votis. *Hæc mihi* caussa viæ.
At, videar vestri si fœdere *dignus* Amoris,
Inter Amicorum *sint tua* scripta *mihi.*
Forsitan inuenies, quorum tibi pectora *firmâ*
Iuncta fide, *& quorum te meminisse iuuet.*
Ergo meum docto consignes carmine librum,
Inscribens propriâ, Burchie *clare, manu:*
Et, tibi si placet, æterno sint fœdere iuncta,
Vt mea dextra tibi, sic tua dextra mihi:
Nuncius *& crebras permutet sæpè* tabellas;
Ac mihi sit vestros visere dulce lares.

Tum,

Tum, si fortè sinu *te* Leida *fouebit* amœno,
Vsque erit EufrenI ianua *aperta tibi.*

De fortitudine Illustrißimi Comitis
MAVRITII NASSOVII.

Hectora magnanimum *iactet* Troiana Iuuentus.
Iactet Achillæas Græcia *vana* manus.
Hannibalem Carthago *suum super* æthera *tollat*,
Ostentet fortes Martia Roma Duces;
Scipiadas, Fabios; *&* HoratI, *&* Coclitis acta;
Et CurtI, *atque tuam,* Scæuola *magne,* manum.
Dextra *tot* Heroäs MauritI strennua *vincit,*
Digna cani, calamo *sed minus apta meo.*

In Laudem
DESID. ERASMI ROTERODAMI.

Quis tandem inuidiæ *modus? ô! sic* gloria Erasmi
Zoïleis *fœdè* gannitibus *obmutescet*
Victa? Quid? an tanti sic nomina *clara iacebunt?*
Pelle hoc Phœbe *scelus;* Musæ *prohibete nefandum*
Hoc facinus: *viuat, viuit quo* Musa Bataua.
Ipse ego percupiam dignis extollere in altum
Laudibus, *immensi magnum* decus orbis Erasmum:
Ast humeri tantum pondus perferre recusant.
Ille etenim quà terra *patet, quàque ardua* Nereus
Brachia protendit notus, super æthera famâ.

Ille bonas Batauis *artes;* Musásque *sepultas*
Ingenito ingenio ductor *deduxit ab* Orco,
Non Marte *excellens, sed clarus* Palladis arte;
Extitit Aönidum *nam semper* cultor *&* vltor.
Hinc illi cupidum Erasmi *quoque* nomen *&* omen,
Scire auido semper, temnenti & mille labores.

Nobiliss. ac Doctiss. viro
D. ADRIANO VANDERBVRCHIO
Vltraiectino; Poëtæ elegantissimo.

Scribere multa vetant curanda negocia Burchi.
Paucula, quæ mitto, consule; quæso, boni.
Vberiora sequens tibi carmina littera *reddet*
Concelebrans gratæ fœdus Amicitiæ;
Fœdus Amicitiæ, *quod nulla redarguet ætas.*
Iam vale, & EufrenI *sis memor vsque tui.*

Doctrinâ simul & virtute insigni viro
D. GVLIELMO POELENBVRGIO, Herlemo-Batauo, meo olim Præceptori, benè de me studijsque meis merito.

En tibi discipuli *nunc,* Poelenburge, Camœnas,
Ortaque cerne satis semina seminibus.

E ramis

E ramis fructus *cape, quos tua* dextera *quondam*
Plantauit. Tua iam munera *mitto tibi.*
Tantorum mihi dulce fiet meminisse bonorum;
Officijque *tui voluere* dona *iuuat*.
Antè suis noctem radijs *decorarit* Apollo;
Quam pereat nostro pectore cura *tui.*
Me gratum *cernes,* cœli *dum* sydera *cernam.*
Tu mihi præ reliquis suspiciendus eris.

Lachrymæ,

In obitum sororis charissimæ,

GERTRVDÆ GEORGI, F.

Q*Vis* germana soror, *mihi quis te surripit? eheu!*
Siccine germanum *miseru* moritura *relinquis?*
Quæ Dea, *quisué* Deus *teneram raptare* puellam
Aggressus? vel quis potuit crudelia fata
Inferre? Immites superos! Parcásque seueras!
Quas non Relligio, Pietas, moresué decori,
Virginis *aut* ætas florens, *non* pectora casta,
Nec mouit doctas *semper coluisse* Sorores.
Delie, culpa *tua est. Decuisset fila* Sororum
Sistere te, morboque *tuis medicarier* herbis.
Illa tibi iam vota *dabat,* precibúsque *vocabat,*
In versus *semper modulans tua* Numina; *teque*
Iam colere incipiens neglectis carmina fusis
Fundebat, dulci oblectans modulamine mentem.
Heu! fatum *effatu lachrymabile! tristia lucis*

Tempora! queis istis tenebras *induxit* ocellis
Omnia falce *metens* mors *implacabilis. O quis.*
Sufficiat luctus: *tanto qua digna* dolore
Fraternas *cingent* lachrymarum flumina malas?

HENRICO WESTRENIO,
Fratri suo charissimo, humanioribus literis, sub optimo praeceptore
D. GVLIELMO POELENBVRGIO,
Herlemi operam nauanti.

INTREPIDVS *cunctos latâ fer mente* labores,
Si benè vis studijs *consuluisse tuis.*
Aspera Parnassi *atque excelsa* cacumina *montis,*
Ad quæ torpori semita *nulla patet.*
Ne timeas duras, dum scandis culmina, *spinas;*
In summo inuenies, lilia *mixta* rosis.
Macte Henrice: genus WestrenI *extendito*; & armis
Quod quondam viguit, nunc vigeat studijs.
Cognita stirps Westrena *satis*; Westrenius Heros
Dum mouet in sæuos prælia *dura* Getas.
Tu sequere Aönides. *Placeant iam* Numina *nobis*
Delphica. *Sat tibi,* Mars *sanguinolente datum.*
Nota satis Proaui bello *iam* dextera; castra
Dum pugnans *sequitur* Carole quinte *tua.*
Henrice *hac nobis tantum sit cura;* propago
Nostra etiam studijs *splendeat* Aönijs.

Nobi-

Nobiliß. & Doctiß. viro

D. ADRIANO VANDERBVRCHIO Vltraiectino, Poëtæ elegantiſſimo.

NVLLA dies, *firmo cum ſis mihi* fœdere *iunctus*,
Immemorem cernet, Burchic *magne, tui.*
Iuro per Aönides; *per* Delphica Numina *iuro*;
Flumina *per* Clarij, *vix mihi nota*, Dei:
Non tua de noſtro labetur pectore Imago,
Dum repetat ſedes ſpiritus *æthereas.*
Vſque tuum nomen *recinet mea* Muſa; *tuumque*
Mirata Ingenium, verſibus *vſque canet:*
Nam tua, ſi pateris, tota eſt, ſemperque manebit;
Omnis & Ingenio *ſtatque caditque tuo.*
Ipſe regas, Burchi, titubantis carmina auenæ;
EufrenI *moderans* Numine vela *tuo.*
Sic portu *optato* claſſis *mea* læta *fruetur*;
Eludetque minas, Scylla cruenta, *tuas.*
Sic mea Muſa, *tuo ponens in* limine greſſum,
Caſtalias *recte* tramite *adibit* aquas.
Si verò & veſtram, vates clariſſime, Muſam
Excitet, & noſtram fecerit ire domum:
Diuite tum cornu Domino *noua* munera *reddet*;
Noſtraque tam gratâ tecta *beabit* ope.
Non mihi tum Crœſi nummos, *non magna* talenta,
Non mallem Attalicas *poſcere* ſtultus opes:
Aurum *namque* Midæ Regi *quid profuit, illi*
Dum claudunt auidam fulua talenta gulam?

Et versu recreans vtilis *esto simul.*
Gloria *sic* perpes *veniet*; geminataque Fama
Nascetur vestro, non peritura, rogo.
Auguror hoc: Sanctos *nec fallunt* omina vates;
Conueniunt rebus nomina *nostra suis.*
Iam vale; &, amborum quod iunxit pectora fœdus,
Nunquam non faciat te memorem *esse mei.*

IVSTO LIPSIO,
Humaniorum Literarum Faci unicæ.

VIrtutes famæ, famam virtutibus *æquans*
Lipsi, Pïeridum Gloria, stirpis Honos;
Stirpis Honos *tu* Lipsiadum. *Te non capit* orbis;
Nam dudum plenus laudibus *ille tuis.*
Eruta *testantur* prisci Monumenta tenebris
Æui; *dum surgit* Gloria Romulidum.
Nostra tuas vtinam laudes *celebrare* Camœna,
Et tanto posset, dicere digna viro.
Miratur, cum non ausit dare carmina, Musa,
Felicis dotes Ingenij & Genij.

Doctißimo clarißimóque viro

D. CORNELIO PYNACKERO I.V.D. & in Academiâ Lugduno-Batauâ Iuris Professori.

INTER *doctorum scripsisti clara virorum*
Nomina Amicitiæ pignora *certa tuæ*
Pynackere: *Tibi quæ munera digna rependam?*
Quæue tuis Musis *carmina grata dabo?*
Non me Castalio *conspersit flumine* Phœbus;
Nec complet numeros Pïeris *vlla meos.*
Si tamen & socias tibi me coniungere dextras,
Et cupias nostræ pignora Amicitiæ;
Atque tuo dignus sim, Pynackere fauore:
Sim tuus; alloquio *perfruar vsque tuo.*
Hinc tibi plura etiam me post debere fatebor;
Quæ soluam, melior cum mihi vena *fluet.*

Humanißimo Doctißimóque viro Adulescenti,

IOANNI MEVRSIO, Criticorum minimè postremo.

MEVRSI, *quem* Criticos *inter non vana loquetur*
Fama, *hilari ignotas suscipe fronte* notas.
Vix ausus tanto nugas *transmittere; sed me*
Inuitum vestri scribere cogit Amor;

Quem peperere tuæ laudes, *tua* Gloria, Nomen;
Gaudebunt cineri *quæ ſupereſſe tuo.*
Qui ſim, quod ſtudium, *quæ* Patria, *fortè requires.*
Sunt præfixa meis nomina carminibus.
Amſtela *quos placidis muros perlabitur vndis,*
Hi primum claro progenuere ſinu.
At ſtudium, Medicos *dextrâ verſare peritos.*
Herbarum *ſimitu' noſceret & omne genus.*
Interdum, (vt releuer curis *grauioribus, & ne*
Fluctibus *in tantis deficiant* animi)
Perlego priſcorum *iucunda* poëmata vatum,
Temporis aut noſtri carmina lecta virûm.
Et mî caſca *placent, quæ* vulgus *neſciat, & quæ*
Miretur populi plurima turba legens.
Ha! quam ridiculi, indocti qui more magiſtri,
Qui pueros linguæ prima elementa *docet,*
Contemnunt, quod non nouit ſchola *trita, nec vnquam*
Deprompſit calamo Tullius *ipſe ſuo.*
Naſutus *valeat ſed cum* Cicerone popellus.
Et plures doctos terra Latina *tulit.*
At tu perge genus Criticum *diffundere in orbem.*
Effugiet mœſtos ſic tua fama rogos.
Nos Medici *ad* Titulum, *noſtrorum ſera laborum*
Præmia, adhuc dubiâ pergimus ire viâ.
Temporis interea ne mentem tœdia *longi*
Inuadant, Muſas *iungimus* Aönides.
Auſa etiam claros mea Muſa *accedere* vates:
Et BurchI *nobis dextera iuncta fuit.*
Nec ſolum verbis nobis ſe oſtendit amicum;

Sed dedit & venâ carmina nata suâ.
Vidimus & BurchI *tua quæ præfixa libello*
Carmina, quæ Ingenium *testificata tuum.*
Vidimus in Dousæ *miserabile* funera *carmen,*
Quod possit modulis saxa mouere suis.
Nec vates *tacuit de te quoque* Burchius*, ex me*
Quærens, num tua mî fœdere iuncta manus.
Abnuo. At ille tuum nomen *tua scripta referre*
Laudibus, *& vestri accendere* Amore *animum.*
Protinus inflammor; præsens tua & ora *videre*
Mens *auet, & vestram quærere* Amicitiam.
Fœdera *nos iungant* adamantina, *pectora iungant;*
Atque aliquo saltem ponar, amice, loco.
Burchius *hoc possit, possint hoc* fœdera BurchI,
Quem lectos inter Symbola *nostra tenent;*
Symbola, *amicorum scriptis testantia mentem:*
Quæ decorant SchollI *& carmina scripta manu;*
SchollI, *qui longis genitori iunctus ab annis,*
Quique inter nostros nomina *magna tenet.*
Quare age, & audaces miti lege pectore versus,
Et streperam Musam *consule, quæso, boni:*
Atque aliquo vestros inter componar amicos,
(Quamuis non merui) Meursie *clare, loco.*

Virtuti-

Virtutibus & Doctrinâ excellenti viro

D. LÆVINO BOTTERO, I.V. D.

Senatui Amersfurtiano à Secretis, Medico, & Iuris in Gymnasio ibidem Professori Dignissimo.

Bottere, Aönidum cultor, bona gloria Phœbi,
  Iustineanæi Lausque decusque fori,
Accipe, de Batauis *mittit quæ* Eufrenius *oris,*
  Carmina, vt Alberti *sis memor vsque tui.*
Accipe; & ignoscens nullo lege tincta lepore:
  Pro venâ *at placeant* pectora *nostra tibi.*

CARMEN EXTEMPORANEVM

Honori Doctissimi humanissimique Iuuenis

THEODORI BARENTI,

Cùm difficillimas aliquot controuersi IVRIS QVÆSTIONES *Sub ductu Celeberrimi Iurisconsulti* CORNELI MAGNI, tueretur.

Anno Iubilæo CIↃ.IↃ.C. XIIX.Kal. Quintileis.

DVM Theodore *tuas vili conscribere* laudes
Carmine *conarer, parua sibi conscia* venæ
Mens *hebet, & vario* curarum *fluctuat æstu.*

 Sed

Sed quid agam tandem, nulli exaudita Sororum
Vota, precésque *mea*; *tum carminis autor* Apollo
(*Nescio quo fato*) *duras demittere in aures*
Hæc mea dicta negat. *Faucas* ter maxime vatum
Inclamo, neque & ille meas, quas cum prece *blandâ*
Effudi voces, *exaudit, captus* amore
Nunc alio, & forsan doctorum tecta *subiuit.*
Ergo iter incœptum sistemus: at hoc mihi nunquam
Suasit amor, *firmo qui pectora* fœdere *iunxit.*
Tu saltem placidâ *mea* carmina *suscipe* mente,
Atque aliquo Theodore *precor dignare* fauore,
Quæ nunquam tanti meruerunt barbara amorem.
Non tibi ficta cano, sed vera insomnia *narro,*
Quæ, dum nocte suas torqueret Luna *quadrigas,*
Visa mihi, non visa tamen, quia visa fuere.
Collis *erat, quo* Diua *potens duo culmina* Iuris
Eductas cœlo turres, Astræa *locarat.*
Has circum validis firmas cum mœnibus arces
Fecerat, excelsa munimina *maxima* Legis.
Dux *aderat, forti torquens hastile lacerto,*
Amstelio *genitore satus, benè cognitus vrbi;*
Diuitiis *clarus, variâque insignis in* arte:
Seu iuuat argutâ torquere Dilemmata *voce*;
Seu iuuat inflatis deuincere Pana *cicutis*;
Ducere siue feras, *seu* syluas *montibus altis,*
Dulcia vel pictas trahere ad sua plectra volucres,
Nec deerat doctæ facundia *maxima* linguæ.
Hæc super & legum nodos *concluserat imo*
Pectore, & ingentes salebras *peruaserat alto*

Corpore:

Corpore: in hanc tandē intrepidus *peruenerat* arcem.
Huius erat cura custodia *tradita* castri.
Circum hostes *densis telis glomerantur, in illum*
Lecta manus iuuenum *turmatim* spicula *mittunt,*
Et clypeum *crebris contundunt ictibus, instar*
Grandinis, *ex alto quem turbat maxima* cœlo
Tempestas. *Non ille* fugam, *non quærere tecta.*
Semper in aduersos validas torquere bipennes,
Ingentemque manum nigrum demittere ad Orcum.
Tandem hostes (*vbi se non dextro numine cernunt*
Arcem Iusticiæ *oppugnare,* ducemque *tuentur*
Impauidum curare nihil, vel spicula mille)
Signa canunt, victique abeunt, arcemque relinquunt.
En Theodore *tibi narrata* insomnia. *Tu* Dux
Principe *sub* Magno *qui maxima prælia tentas,*
Quique Dei Donum *cum* nomine *&* omine *præfers.*

ALIVD.

BARBARA Cattigenûm *quæ ludere* Musa *per oras*
Ausa fuit, lætâ fronte serenus habe.
Quæ quamuis tanto satis haud sint digna poëtâ,
Cui mage Piëridum *turba nouena fauet,*
Sume tamen nostri indubitatum pignus amoris,
Qui tibi me iunxit fœdere, *teque mihi.*
Sat scio, culpabunt audacia facta poëtæ,
Quod rudia *& nullâ* carmina *ab arte feram.*
Tu facilè ignosces nimio deceptus amore,
Duraque *tu dices* carmina dulce melos.
Sed, (nisi maturâ decerpens morte puellam,

Rupisset durâ stamina Parca *manu,)*
Et Gertruda soror *caneret tua prælia, & audax*
Adiiceret fratris *carmina carminibus.*
Haud assueta colo *fuerat,* calathisué Mineruæ,
Sed mage doctorum *voluere* scripta *virum.*
Et iam tentabat Graias *perrumpere in oras,*
Cum celeri periit funere, *ad* astra *volans.*
Quam vellem, Lachesis *voluisset sistere fila,*
Vt quoque fœmineâ *notior* arte *fores.*

In Discessum

Probi honoratique Iuuenis,

GVILIELMI ZEGERI PVRMERENTANI.

ANNO cIↃ.IↃ.c. Mense Martio.

NON *tanto* Phœnissa *fuit perculsa* dolore
Cum Phrygiæ *peterent* Itala *regna* rates,
Quanto (ah!) dum chari discessum *cernere* amici
Inuitis

Inuitis cogor nunc ego luminibus.
Haud equidem nobis (lubeat si vera fateri)
Thymbræus *donat plectra sonare* lyræ.
Quapropter modulis vates *ignoscite, namque hos*
Planctus, *&* *in* lucem *cogit abire* dolor.
Carmina proueniunt animo deducta sereno.
Casibus aduersis carmina nulla fluunt:
Mœstitia *&* *riuos, solitam concludit &* artem;
Nec sinit in lucem didere dulce melos.
Perturbant lacrumæ *mentemque animumq; canentis:*
Quod miser, ô nimium nunc miser experior.
Attamen haud tantum mens est rellinquere amicum,
(Ridebunt vâtes Phœbe *canore tui)*
Quem mihi constanti coniunctum fœdere amoris
Atque vnum studium *vidit, &* vna domus.
O multum dilecte mihi Gulielmie, *non te*
Extollam plectro (quo careo) egregio.
Sed certum nostri cognosces pignus amoris:
Et tibi pro facto sit voluisse satis.
Hæc tibi, quæ chartis coniunctio tradere firma
Carmina persuasit, qualiacunque damus.
Carmina mœrorem *mentis testantia nostræ,*
Quæ damus humidulis vix sine lacrymulis.
Ast Dea, *quæ nunquam mœstos, dum vita superstit,*
Deserit, & gratam ferre solebat opem,
Alloquitur tali gemebundum voce. Quid, inquit,
Proderit effusas soluier in lachrymas,
Atque nouum liquido de corpore mittere flumen,
Quod ferret nomen culta per arua tuum?

Anne

Anné tibi foret hoc pacto victoria *parta?*
Nequicquam. hinc, moneo, desine vana queri.
Desine tristitiâ *nimium consumier atrâ.*
Mœrori *tandem ponere disce modum.*
Ille tuus, quem nunc tristaris abire, sodalis,
Mox repetet celeri limina vestra pede.
Talibus alloquijs *mœstum* Dea *læta leuauit,*
Et dedit (vt sueuit) spemque animumque *bonum:*
Quæ precor vt facias nobis rata maxime rector
Cœlituum, *per quem* machina trina *viget.*
Tunc vestras plectro laudes *meliore canemus,*
Ponemusque focis thura Sabæa *tuis.*

ALIVD.

O *mihi non minimo* Gulielmie *cognite ab vsu,*
O mihi Thesæâ *cognite* amicitiâ;
Quo cum mœsta *simul, simul & iucunda solebam,*
Plurimaque, & dulci nectere verba ioco;
Quo non de socijs *quisquam coniunctior alter,*
Scribere cui suetus, liberiusve loqui;
Siccine durus abis nostros licture penates?
Heu! nimium celeri niteris ire pede
Sed quid agam tandem? socium *remorerne volentem?*
Durum hoc. nec clemens hoc mihi suadet amor.
Quin potius (quoniam nequeunt fata *ardua flecti,*
Et visum summo sic placuitque Deo)
Muneribus donem, facilis quæ dictat Apollo,
Qui se tam facilem præbuit vsque mihi.

DI *faueant, commiſſa quibus tutela viarum,*
Et quos oceani *cœrula lympha vehit.*
Sub pedibus, ſi fortè pedes gradiere, lutoſum
Non ſit iter. Violas *terra benigna ferat.*
Pro ſpinis, ſaxiſque, *tibi ſint crebra* roſeta.
Alta nec albentes tardet arena *pedes.*
Cum rate *ſulcabis* pelagus, *fluctúſque marinos,*
Neptunus *faueat,* Cymothoëque *ſimul,*
Ne diram incurras Scyllam, *ſæuámve* Charybdin,
Sed medius felix inter vtramque voles.
Aſpirent optatæ auræ, ventique ſecundi,
Cana fluat vaſti molliter vnda maris.
Hoc tibi non cultâ cecini rude carmen auenâ.
Non artem, *aſt* mentem *reſpice, quaſo, bonam.*
Sitque tibi firmi non fictum pignus amoris,
Qui multos annos *inter vtrumque fuit,*
Et quem confido per ſæcula *longa futurum,*
Dum nos diſiungant ſpicula *dira* necis.
Iamq́; vale, & noſtri memor *vſque manere memento,*
Maxima pars noſtri, dimidiumque animi.

Pruden-

Prudentiss. ac Doctiss. viro D. IOANNI CORNELÆO GESSELIO,

Scholæ Amersfurtianę Rectori, & in Gymnasio ibidem Historiarum Professori publico; præceptori olim meo.

GESSELI, *indoctæ* moderator *fide* iuuentæ,
Quæ tibi mēs, quod nulla tuas peruenit ad aures
Littera discipuli *manibus conscripta? quid? an me*
Oblitum esse tui Doctor *venerande putasti?*
Absit; & à nostro procul hoc sit pectore crimen.
Sed, quoniam haud licuit præsentes cernere vultus,
Doctâ scripta manu pepererunt gaudia menti
Maxima; quæ nec longa queat remouere vetustas,
Me penes hæc dum scripta manent, & signa fauoris.
At tibi præstamus quæ nos, hæc tu quoque nobis:
Nec dubito, vna tibi quin mens, eademque voluntas;
Et sancti seruare velis venerabile amoris,
Conuictus *longo peperit quod tempore,* fœdus.
At iusto (firmata virum cum fecerit ætas)
Gratia *reddetur vobis quoque tempore plena;*
Et iuncta antiquum renouabunt pectora amorem.
Interea hæc placido cape barbara carmina vultu;
Namque haud Grynæus *mihi dictat* Apollo; *sed illa*
Noster amor *paruo conscribere tempore iussit.*

Nænia

Nænia (quæ affixa fuit valuis Academiæ Lugduno-Batauæ) Pijs Manibus

Ingeniosißimi Ornatißimique Iuuenis, SIMONIS BARLANDI, Goeſani, Iuris Studioſi.

QVID *cogis,* Libitina, *inuitum ſcribere carmen,*
Aut planctũ, Iuuenem *dum truculenta rapis?*
Sed qualem Iuuenem! Muſæ *cantate* Poëtam:
Veſter erat: Vatem *dicite* Pierides.
Quà mare, quà tellus diſtendit brachia, famam
Spargite. Sint cunctis nomina *nota locis.*
Barlandum *reſonent ſyluæ, ſaltúſque virentes.*
Barlandum *montes, mœnia cuncta canant.*
Barlandum *mœſtæque feræ, mœſtæque volucres*
Ingeminent, & quæ monſtra alit Oceanus.
At tu, Leida, *comas reſoluta, accede* ſepulchrum;
Et madeant lachrymis pallida membra pijs.
Occidit, ecce, tuâ Iuuenis Barlandus *arenâ,*
Gloria Mattiaci, ſpeſque, decuſque *ſoli.*
Quid referã clarũ genus? *aut quid* ſtemmata *magna?*
Aut quid opes, *quæ cum corpore depereunt?*
Sunt aliena magis bona, quam ſint noſtra. Quid ergo?
Diuitis Ingenij *dicere dona iuuat;*
Egregios mores, & candida pectora amici;

Et ſanctâ *ornatum* Relligione. *animum.*
Sed quid vana queror, complens mugitibus auras?
Occubuit celeri funere noſter Amor;
Quem celeri fato *raptum florente* iuuentâ
Incaſſum flemus. Stat ſua cuique dies.
Quod reſtat: leuis incumbat tibi terra perempto;
Floribus *& tellus veſtra* ſepulchra *tegat.*
Hæc, Barlande, *tibi. Sæuo quæ dira* latroni
Imprecer? Exagitet mœſta virum Nemeſis,
Qui docto immerſit truculenter corpore ferrum
Barbarus, Hyrcanâ Tygride *natus homo.*

Elegia Amersfurtum miſſa, ad doctiſsimum acutiſsimúmque Philoſophum D. EGBERTVM STAVERDENVM, Logices Profeſſorem.

ANNE *&* Amersfurtum *quoque carmina noſtra ſubibunt?*
Ibunt? Anné elegos quis vetat ire leues?
Ire licet pro me. Campos penetrate patentes;
Siue placet lympha currere, Rhene, *tuâ.*
Si licet, anné lubet vili celebrare lacernâ
Gaudia? ſic feſto *num decet ire die?*
Muſa *incompta refer greſſus:* Conuiuia *lauta*
A forti *populus dictus* Amore *facit.*
Tené putas laceram excipiet, ſolioque locabit?
Ne ſperes. non te pocula plena manent.
Sed quid ego? non plena manent te pocula? nunquid
Mentior

Mentior & falsò verbula vana loquor;
Perluit irriguo nec mœnia Amusius *anne?*
Hic siccam extinguet flumine, crede, sitim.
Inuenies illic genio maiore Poëtas,
Quam qui te vili cogit abire togâ.
Vade tamen. Paruos calices, sepostaque mensis,
Si non sis nimium barbara, fortè dabunt.
Si maiora tibi contingant nomine nostro,
Conuiuisque tenes consociata locum;
Dulcia verba refer, mentesque hilarantia tristes;
Namque inter calices gaudia *sola decent.*
Gaudia *sola decent,* risus, *tremulique* cachinni.
Non habet hic luctus, tristia verba. locum.
Ite procul Curij; *procul hinc, procul ite* Catones:
Hic lepor & Charites, *turba beata, iuuant.*
Non maculare decet tristi per amœna dolore
Gaudia; sed carmen psallere dulce lyra.
Dulce melos *recreat* doctorum *corda virorum.*
Dulce melos iuuenum *pectora læta facit.*
Sed quid de dulci mihi mentio carmine, cuius
Carmina vel somno *languidiora fluunt?*
Non ego in Ascræis *habitaui vallibus vnquam;*
Nec didici numeros, *culte* Tibulle, *tuos.*
Attamen hoc, quodcunque, precor læta accipe mente.
Vt non sit donum, pignus amoris *erit.*
Pignus amoris *erit prognatum mente benignâ,*
Et quod testetur, nos meminisse tui.
Et meminisse decet, quorum fecêre labores
Vt non sint Iuuenum *barbara corda nimis.*

Ergo (Stauerdeni *si sit modò digna* fauore
Littera, carminibus non benè compta suis,)
Accipe, Leidensi *tibi missum ex vrbe,* Poëma,
Egberte, Amsfurti, Castalidumque decus:
Siq́ue placet, forti nugas *complectere* Amore.
Insanire lubet? non veto; namq́ue licet.
Sed quoq́ue sæpè solent ad nos quæ missa placere,
Si modò, qui scripsit, gratus amicus *erat.*
Credimus esse aliquid: Cæcos Amor *efficit, atq́ue*
Obuelat tenebris lumina nostra suis.
At quæ te tenebræ fallant, Aganippidos *vnda*
Quem nimium puro flumine sæpè rigat?
Tu tamen EufrenI *miti cape pectore tricas,*
Ignoscens; vel sit culpa, Galene, *tua.*

Elegia, Rupellam in Galliam transmissa,
Docto Proboq́ue Iuueni
IOANNI TVFFETO,
amico meo non vulgari.

HÆC *de* Cattigenis *veniens te missa salutat*
Littera, Piërij *gloria,* Iane, *chori.*
Quod si fortè, à quo fuerit transmissa, requiris:
Non opus indicio est. Frons dabit ista tibi.
Illa tibi lætæ mentis *dat* nomina *fausta;*
Deducta antiquis nomina *de* Proauis;
Sed sine Nobilitate. *Quid hæc? quid cætera* pro*sunt,*
Quæ vulgus tollit laudibus eximijs?
Detritæ nil sunt tabulæ; *nil* cera, figuris

Ornata,

Ornata, antiqua signa superba domus:
Nobilitas *sed vera,* Deo *seruire potenti;*
Ingenium *in* laudes *vertere & omne* Dei.
Deuius ast huius sine Numine *distrahit* error,
Et trahit, heu! miseros in sua fata *homines.*
Si tamen est aliquid, laudem *meruisse perennem,*
Aque à permultis post sua fata *legi:*
Christe *faue, & tantum dones mihi* Numine *fausto,*
Vt fiam nostræ gloria prima *domus.*
Parua peto. Parui tantum sim nominis *author;*
Meque emant pueri, *meque legant* Iuuenes.
Nomina *non doctos inter peto maxima* vates:
Ast humiles inter versificator *agam.*
Non ego sum, Lauro *facilis quem donet* Apollo,
Dulcia vel cuius carmina ab ore fluant:
Nec tamen erubui doctas transmittere ad aures
Carmina, quæ vomitum sint paritura tibi.
Interea nostri semper memor esse memento
Iane, *ô* Rupellæ lausque decusque *tua.*
Litterulis veniat paucis conscripta tabella,
In firmum nostræ pignus Amicitiæ.
Sic gratum, atque satis facies. Nunc, littera finem
Quo capit, hoc opto sæcula longa, vale.

Raptim, ex Musæo nostro, Lugduno Batauorum; Anno Iubilæo cIↃ. IↃ. c. qui (quoniam vobis) vtinam & nobis iubila. v. Non. Quintil.

Ingeniosissimo & maximæ Spei viro-adulescenti,

AVGVSTINO STALPERT, vander-Wiele, Hagiensi, Iuris Studiosissimo.

QVID, Stalperde, *tuæ non infima* gloria *gentis,*
Laus *magna* Astrææ, Pïeridumque decus,
Carmina *ab* EufrenI *poscis desumpta pharetrâ?*
Tempore quæ longo iam vacuata fuit.
Sed (quia amicitiæ *non tenuia* vincula *iungunt,*
Amborumque animos mutuus ardor *agit,)*
Non potui tanto non scribere carmen amico,
Atque, leues quamuis, mittere quisquilias.
Sed cur quisquilias, *& cur non* carmina *dico?*
(Nam, scio, tu cæli sydera ad alta feres,)
Dicemus versus; *sed quales? Vah, pudet, illis*
Tam rudibus, doctæ limina adire domus.
Si tamen inspicias, veniant quâ mente; *merentur*
Et veniam, *&* venâ *carmina nata tuâ.*
Quæ possum, & quæ tu poscis, ego mitto. Quid ergo
Restat? Quod debes solue, Poëta, *tuo.*
Solue, Poëta, *tuo* Phœbæum *munus* amico.
Addictoque tibi gaudia *ferto* animo;
Gaudia, *quæ poterunt vestræ præbere* Camœnæ.
Ergo, age, iam veniat missa tabella *mihi.*

AVGV-

AVGVSTINVS STALPERT vander-Wiele, ALBERTO EVFRENIO Georgiadi, S.

ACCIPE, Castalij *cultor celeberrime fontis,*
Quæ petis, imparibus condita verba modis.
Nec (quia Pegaseo *non sint madefacta liquore*
Qualis in excultis vatibus *esse solet,)*
Reijce; Sed tenuis venæ non immemor, hæc tu,
Quid tenuis poscat vena, queatué, vide.
Et facies certè (néque enim dubitare necesse est)
Si, quæcúnque leges, ductus Amore *legas.*
Et lege, materiam cupido quod abundè ministrat,
Ingenij *laudes, magne* Poëta, *tui.*
Nec, quia cantando nimium sum parcus in illo,
Nam sum, iudicium *spernito, quæso, meum:*
Sed memor, vt memor es, fieri benè quod fit Amore,
Sic quóque sis memor hoc consuluisse boni.
Ingenij *si quis ergo mereatur ob* artes,
Ingenijs *palmam iure tulisse datam:*
Nullus eâ dignus; palmam *nam ferre mereris,*
Artibus ingenij *solus,* amice, *tui.*
Æquâ námque tuas trutinâ cum pondero dotes,
Et video quàm sit culta Minerua *tibi:*
Prô Superi! *cunctaq́;* Deæ *queîs carmina curæ,*
Attoniti quanto membra stupore pauent.
Nam verum vt fatear (verè tibi vera fatebor)
Nescio quàm certè me tua Musa *iuuet.*
Pelignì *siquidem miranda reuoluere* Vatis
Scripta puto me, cum scripta reuoluo tua;

Nec mirum; quid enim miri non mira ministrent!
Cum par sis tanto, quantus es ipse, viro.
At cum Relligio *tua, cum* Pietaſque, Fideſque,
(Heu! bona præsenti tempore rara) subit:
Mentis inops, amens animi, vix credere tantas
Virtutes *vnquam* vatibus *esse queo.*
Et tamen hæ cum sint, (nam sunt; quis nota refellat?)
Iure ſacri vatis *tu tibi nomen habes.*
Hæc igitur Superi *cum tot cum tanta dedere*
Dona tibi, nullo deperitura die;
Salueto ó Vates, *magnorum maxime* Vatum,
Et quem tu Titulum *iure mereris, habe;*
Maximus ingenio, *nulli* Pietate *secundus,*
Et fidei, *&* *vera* Relligionis *amans.*
Ingenio famam, cœlum Pietate *meretor:*
Hæc precor, hæc voti est summa suprema mei.

HENRICO SALOMONIO Delmanhorſtio.

QVAMVIS *tu* Dîo Muſarum Nectare *plenus,*
Et potes ipsis fontibus Aönidum
Flumina, quæ magnas tibi dent in carmina vires,
Atque Maronæâ *digna sonare* tubâ:
Non tamen à vestro mea limine Muſa *recessit;*
Nec pudet ad vatem *mittere* quiſquilias,
Purgataſque aures dignis pulsare cachinno
Versibus, & cultis rustica ferre locis.
Ignosces: Cupiunt hoc fœdera nostra. Putabis
Fortè etiam nugas *carmina lecta meas.*

Sed

Sed quid? Tu reris vatum tibi carmina mitti:
Sic poterunt aliqui muneris esse loco.

AVGVSTINO STALPERT vander-Wiele, Poëseos & Iuris Studioso.

ANTE aliquot volui luces, Stalperde, Poëtam,
Cuius cingebant Laurea serta caput.
Ille mihi visus densis reuocare tenebris,
Inque suos EnnI ponere corda animos,
Atque EnnI cascum versu superare Poëma,
Dum studet obscuris nectere metra modis.
O! tales Musæ vates arcete Latinæ,
Ne sacra conspurcent flumina stercoribus:
Turba etenim puras si inuadat lurida lymphas;
Qui nunc sunt fontes, fœda mephitis erunt.

Magnæ spei Iuueni IOANNI DVLMENO, Amstelredamæo, Philosophiæ Candidato.

HÆC tibi de Batauis transfert, Dulmene, salutem
Littera, Piërijs non benè culta modis.
Ille tuus mittit, quem nosti, Eufrenius; ille,
Cui fuit à puero dextera iuncta tibi:
Quo cum per patrias lusisti sæpè plateas,
Dum gereres pueri ludicra more puer.

Amstelis *vrbs ambos,* Amersfurti *& mœnia amœna*
Viderunt campis ludere Castalidum.
Te maiora Vbij *docuere:* Colonia *nunc te*
Imbuit & Sophiæ Nectare, *&* Ambrosiâ.
Sed me Leida *tenet,* Batauis *doctissima in oris,*
Et Melicæ *&* Medicæ *dum sequor artis opus.*
Vna erat in patria *nobis vicinia; iam nos*
Plurima disiungunt flumina, rura, lacus.
O! per bella mihi liceat, Martisque *tumultus,*
Per quæ securas non licet ire vias:
Ipse frui cupiam vestro sermone, disertis
Et doctis pascens pectora colloquijs.
Nunc tibi sufficiat pro facto prompta voluntas,
Atque, vt ego vestri, tu memor esto mei.

In Battum Polulogum.

Disputat, & gannit, diffundens plurima verba;
Non minimum simulat barbaque longa Sophum.
O! tibi si menti grauitatem larga dedisset
Natura *hanc, mento quam dedit illa tuo:*
Talia non solido, tenebris de corde remotis,
Qualia nunc profers hic stolido ore, dares.

Iuuentus fluxa.

Vt flos *in viridi lasciuit gramine, verno*
Tempore, cum frondes educat omnis ager:
Sic etiam vernat petulans quandoque Iuuentus,
Castra voluptatum *dum malèsana tenet.*

Sed breuis & floris ætas, sic dona Iuuentæ
Vt citò nascuntur, sic subitò intereunt.

Iuuenis morti vicini lamentatio.

Ah! quis non fundat lachrymarum *flumina? quis non*
Ingeminet, iuuenum funera *acerba videns?*
Heu! rapior teneris, & adhuc crescentibus annis;
Carpitur vt viridi flos *resecatus humo.*
Quid nunc diuitiæ? *quid* opes? *quid* forma *superba*
Proderit? aut quid iam fulua metalla *iuuant?*
Muneribus nullis Libitina *mouetur? Acerbo*
Irruit in miserum mors *truculenta gradu.*
Diffugiunt comites, *solusque in* morte *relinquor;*
Agna *velut rabido* præda *futura* lupo.
Membrorum intereunt præstantia robora. *Nostra*
Nil contra mortis *spicula tela valent.*
Intereo, & calidæ roseus color, *ecce,* iuuentæ
Omnis abit. Miserum pallor *&* algor *habent.*
Summe pater *miserere mei, miserere precantis;*
Cumque latrone *habitem tecta beata* poli.

Carmen in Cupidinem & Venerem, Amersfordiæ in Scholâ lusum.

Cede puer, *falsum tribuunt cui* Numen Amantes.
Insipiens, fallax, blandula cede Venus.
Nil possunt, vires, & nil tua tela Cupido;
Nil possunt vestra, Cypria *pulchra,* faces:

Excu-

Excutiunt sæuas nam pectora *nostra* sagittas;
Nec curant flammas *frigida* corda *leues.*
Pectora *defendit* Phœbus: *Domat ille* dracones.
Cor *gelido* Pallas *flumine docta rigat.*
Otia *vos gignunt; vos nutrit* inertia: *Sanctos*
Scandentem colles me labor *acer agit.*
Gaudia *vos colitis; lætum vos tempus amatis:*
Grassatur pestis, prælia *dura,* fames.
Vos iuuat è tremulo procedens gutture cantus;
Vos agiles saltus, *vos* choreæque *iuuant:*
Dura *mihi indocto* vox *gutture personat;* artem
Saltandi *nostri non didicere pedes.*

Virtute & doctrinâ ornatissimo viro-adulescenti

THEODORO BARENTIO,

Theses Iuridicas defendenti.

NON *cupis à nobis carmen tibi vile* Barenti,
Vt taceat laudes *nostra* Camœna *tuas.*
Difficiles Iuris *dum tentas soluere* nodos,
Indignas dicis carmine quisquilias.
Sisto meos currus. Alienæ *haud indigna* laudis
Virtus, *quæ* propriâ *fulgida* luce *satis.*

In effigiem
CORNELII SCHONÆI
Goudani, Comicorum Principis,
& ſcholæ Herlemo-Batauæ
Rectoris vigilantiſſimi.

HIC *datur effigiem docti ſpectare* Schonæi;
Cui ſocco *haud vidit* Belgica *terra parem.*
Æquauit ſcriptis *ſeſe, haud ſine* laude, TerentI.
Exulat è verſu fabula *ficta tamen.*
Sed ſacra, *quæ tractat diuini pagina verbi,*
Immiſcet chartis caſtior *ille ſuis:*
Vatibus *abiectis* ſcurrilibus *vt ſua cuncti*
Scripta *legant* pueri, *cum* pueriſque ſenes.

Inſcripta Albo
EMANVELIS RVSSI,
Metello-Caſtrenſis Mattiaci,
Iuris Studioſi.

FLAVA *micant* tria candenti *cui* lilia campo,
Et niger *in* medio circulus *eſt* clypeo,
Hoc poſuit facili modulatum carmen auenâ;
Quo ſibi ſit RuſsI *fœdere iuncta manus.*

IBIDEM,

Ad insignia mea, sed materna.

Hæc quondam Schytici *timuerunt* signa Tyranni,
Dum campis vexilla infert Westrenius Heros,
Henricus, *ductu*, Carole Quinte, *tuo*.
Hinc (si quid conferre potest, si nomina clara,
Et non Nobilitas *nihil est nisi nomen inane;)*
Et mihi materni sanguinis autor eques.
Viuida *sed* Virtus *recreat, quæ sola beatos*
(Nam victrix Mortis Virtus) *facit, & facit omnes,*
Sed verâ, *æternum* Nobilitate *frui.*

Ara Memoriæ & Amicitiæ Sacra,
Inscripta albo
CORNELI OLDENVLIETI
Lugd. Batavi, Iuris Studiosi.

Sacram hanc Mnemosynes aram *contingere noli,*
Quam facit Albertus *monumentum extare fauoris,*
Et duraturi syncerum pignus Amoris,
Hospes, Castalias *qui colis vsque* Deas.
Hinc fuge Liuor *iners.*
Hinc fuge Tempus *edax.*
Hûc, age, Fama *veni.*
Hûc, age, Laus *penetra.*
Incassum Liuor *candida corda petis.*
Incassum Tempus *conaris rumpere* fœdus.
Fama *adsit, magni dans præmia grata* laboris,
Teque immortali, Corneli, Laude *coronans.*

Carmen

Carmen inscriptum albo Amicorum GVLIELMI ÆYERI, Londino-Britanni, Medicinæ candidati, cum Italiam cogitaret.

QVID *linquis* Batauas *sedes* Gulielme? *quid oras*
Queis nihil immensus cultius orbis habet?
Non magnum ingenium, *non digna* Pallade *dotes,*
Non Vates Batauis, Pïëridumué *chori*
Desunt: Et flauas fœcundus campus aristas
Profert; & viridis flumina potat ager.
Martia corda viris, nec dura in prælia deses
Dextera, de cuius vulnere sanguis eat.
Terra vndosa tamen: Sed (si Venus *edita ponto,)*
Hæc quoque de Veneris *sanguine terra fuit.*
Nec minor est Cypro, *ne* Coïs *cesserit vnquam:*
Namque & formosas terra Bataua *tenet.*
Virginibus oculi nigri; flauique capilli;
Et teretes digiti; formaque parua pedis:
Corpora longa illis; facies formosa, rotunda;
Palma patens; rubrum os; purpureæque genæ.
Dure nimis, quem nulla queunt retinere; nec artes,
Nec forma, aut vrbes, nec quoque dextra potens.
Ast, Æyere, *tuis melius tu consule rebus:*
Te Medici *titulus,* laurea *serta manent.*

Conclu-

Conclusio totius operis,

AD DEVM OPT. MAX.

DVXIMVS *ad metam, teneris quæ lusa sub annis:*
Sit tibi, sit soli gloria, laus, & honor,
Summe Deus: *nostri da præmia grata laboris,*
Noscat vt Albertum *terra* Batauа *suum.*
Mox meliora tibi dabimus crescentibus annis,
Dicemusque hymnos, *& bona verba simul.*
Nunc castis ignosce iocis; *tu pectora nosti;*
Nosti animum aduersum turpibus esse mihi.

LAVS DEO TRINO ET VNI.

FINIS.

W